4

DE

GENTIBUS ET FAMILIIS ATTICAE SACERDOTALIBUS

DISSERUIT

CHRISTIANUS LUDOVICUS BOSSLER,

PHIL. DR.

DARMSTADII,

TYPIS CAROLI GUILIELMI LESKE.

MDCCCXXXIII.

De gentibus et familiis, quibus Graecia, tum ipsa, tum eius coloniae floruerunt, quum scribendi consilium cepissem, haud alienum fore iudicavi, priusquam hunc laborem ad finem perducerem, breve specimen eius a me praemitti, quo simul viros doctos, quorum interest haec studia dirigere et adiuvare, sententiam rogarem.

Fines libelli, quem edendum paro, ita circumscripsi, ut in eum gentes et familias reciperem omnes, quarum nomina gentilicia in monumentis qualibuscunque ex antiquitate nobis servata sunt. Adiicientur ubique singuli homines, quos ex hisce gentibus et familiis ortos esse compertum habemus; et, quatenus hoc fieri potest, ordine genealogico stemmatum in formam redacti comparebunt. Fata singulorum et res gestae raro tantum et nonnisi certo quodam consilio commemorabuntur. Sed ubi totius gentis vel familiae singularis aliqua conditio clariorem inde accipiat lucem, ubi complures eodem nomine praediti distinguendi sunt, ibi necessarium erit, etiam facta hominum paucis annotari. Nunquam vero supersederi poterit accuratiore factorum, officiorum, commodorum et munerum eorum, quibus totae familiae conspicuae fuerunt, expositione. — Praeterea prodibunt etiam eae familiae, licet gentem et nomen gentilicium nesciamus, unde viri vel feminae innotuerunt complures tum a scriptoribus tum in monumentis illustrati, quorum ideo nexum genealogicum scire refert et ad libros veterum auctorum melius intelligendos, et ad historiam penitius perspiciendam. — In enumerandis vero gentibus

eum sequar ordinem, ut primum singulas Graeciae civitates, deinde colonias Graecorum recenseam.

Hactenus disputatio spectabit ad historiam, et huic praesertim in auxilium vocari poterit. Alterum enim consilium, quod genealogis de recentioris aevi familiis disserentibus spectandum praecipitur, *iuridiciale* dico sive *individuale* quod vocant nostrates, ad hancce disquisitionem non pertinet.

At aliud est, quod non omitti posse existimo, nimirum ut demonstretur, quem ordinem gentes in divisione singulae cuiusque civitatis obtinuerint, et quam potentiam hae societates diversis locis et temporibus in administrandis rebus publicis exercuerint. Eo consilio, priusquam singulas cuiusque civitatis gentes ipsas enumerem, de conditione sive statu familiarum et gentium politico, earumque cum rebus publicis connexu loquar.

Postremo de nominibus Graecorum ea annotaturus sum, quae in tractandis hisce rebus mihi se obtulerunt, cum ad historiae studium tum ad mores populi pernoscendos haud inutilia visa.

Scribebam Darmstadii, mense Februario,
MDCCCXXXIII.

DE

GENTIBUS ET FAMILIIS ATTICAE SACERDOTALIBUS.

CONSPECTUS.

BUTADAE. ETEOBUTADAE. [1]).

Primum inter gentes et familias Atticae locum summo iure Butadis concesseris, tum propter originem ex remotissima terrae ductam antiquitate, tum propter nobilitatem, in qua extollenda tot scriptorum veterum ita sibi consentiunt testimonia [2]), ut in proverbium abiisse videatur [3]). Quod quidem nemo mirabitur, si reputaverit Butadas ad extrema usque Graeciae saecula sacerdotio summorum et antiquissimorum urbis Athenarum numinum tutelarium functos esse. Legebantur enim ex hac gente sacerdotes Minervae Poliadis et Neptuni Erechthei.

Nomen et origo Butadarum a Buta [4]) deducitur Pandionis et Zeuxippes filio [5]). Patrem Pandionis Erichthonium alii Minervae (sive deae ipsius sive regis Attici cuius-

1) C. O. Müller. in comment. de Minerva Poliade cap. II disputavit »de sacerdotio Eteobutadarum«, et in epim. I adiecta est »Eteobutadarum genealogia.«

2) Eustath. p. 1641 Rom. Ἐτεοβουτάδαι γένος Ἀθήνησι πάνυ λαμπρόν. — Lex. rhet. in Bekkeri inedd. I. p. 257: Ἐτεοβ. γένος Ἀθήνησι καθαρὸν Ἀττικὸν τὸ γνήσιον. — Etymol. M. Ἐτεοβ. γένος τι ἐπίσημον καὶ περιφανὲς τοῖς Ἀθηναίοις. οἱ ἀληθῶς ἀπὸ τῆς τοῦ Βούτου γεγονότες. ἐκ δὲ τούτου καθίστανται αἱ ἱερεῖαι τῆς Πολιάδος. — Photius lex. Ἐτεοβ. γένος πολὺ λαμπρὸν ἀπὸ Βούτου, ἀφ᾽ οὗ οἱ ἱερεῖς καθίστανται Ἀθήνησιν. (Lobeck. ap. Schleusner. ad h. l. corrigi vult Ἀθηνᾶς. Sed tum etiam ἱερεῖαι scribendum esset. Neutrum vero necessarium in glossa minus accurate scripta. Cf. etiam Apostol. in not. 3. laudatus.) — Pseudoplut. vitt. X orr. vol. IX. p. 850 R. de Lycurgo dicit: ἦν δὲ καὶ παῤῥησιαστὴς διὰ τὴν εὐγένειαν. Tanta fuit huius gentis nobilitas, ut inde ad totam curiam sive phratriam, cui adscripti erant Eteobutadae, redundare aliquid videretur. Aeschines de f. leg. §. 147. (vol. III. p. 313 R.) patrem suum iactat εἶναι δ᾽ ἐκ φρατρίας τὸ γένος, ἣ τῶν αὐτῶν βωμῶν Ἐτεοβουτάδαις μετέχει κτλ.

3) Apostol. prov. VIII, 62. Ἐξ Ἐτεοβουταδῶν ἕλκει τὸ γένος· ἐπὶ τῶν εὐγενῶν. γένος γὰρ πολὺ καὶ λαμπρὸν ἀπὸ Βούτου, ἀφ᾽ οὗ οἱ ἱερεῖς καθίσταντο Ἀθήνησι. — Synesius de insomn. p. 144 C Petav. (Paris. 1633.) διαφέρει δὲ οὐδὲν τῷ θεῷ τίς ὁ Ἐτεοβουτάδης, καὶ τίς ὁ μανῆς νεώνητος, ubi Nicephor. Gregor. (p. 402 B.): Ἐτεοβουτάδαι γένος τι ἀρχαῖον ἐπίσημον ἐν Ἀθήναις καὶ περιφανές, ἀφ᾽ οὗ αὐτῆς Ἀθηνᾶς ἐξελέγοντο ἱερεῖαι. ἐτυμολογεῖται δὲ ἀπὸ τοῦ Βούτου γενεᾶς καταγόμενοι.

4) Etym. M. Βουτάδαι δῆμος κτλ. ἢ οἱ ἀπὸ Βούτου. οὗτος δὲ ὁ Βούτης ἱερωσύνην ἔσχε· καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ Βουτάδαι ἐκαλοῦντο. — καλοῦνται δὲ καὶ Ἐτεοβουτάδαι οἱ ἀπόγονοι τοῦ Βούτου. Cf. nott. 2. 3.

5) Apollodor. III. 14, 8, 1. Zeuxippe cognomen est Minervae ipsius, equos currui iungentis; deinde nympham designat Minervam. Cf. not. 8.

dam filiae), alii Terrae progeniem praedicant; patrem eius Volcanum perhibent [6]). Unanimi vero consensu omnes Erichthonium primum Athenis Minervae sacellum condidisse, sacrificia deae in arce instituisse, equos currui iunxisse, denique propter insignia haec merita in Minervio sepultum et inter deos relatum esse tradunt [7]). Praeterea cum Neptuno quoque arctissima huic regi intercessit coniunctio. Athenis enim in arce iuxta Poliadis aedem Erechthêum fuit, tres continens aras, quarum primam Neptuno et Erechtheo, alteram Butae, tertiam Volcano sacram fuisse disertis verbis tradidit Pausanias lib. I. cap. 26, 5. Neptuni autem atque Erichthonii sive Erechthei numen in arce perinde habitum est [8]). Nepos huius Erichthonii celebratur Butes. Pandion enim, (ita fabulae narrant), duos ex Zeuxippe suscepit filios Erechtheum II et Butam, inter quos potestas regia ita divisa est, ut illi regnum, huic summum obtingeret sacerdotium, quod postea familia eius hereditarium retinuit [9]).

Nomen *Βούτης* satis superque declarat, qualis ipse fuerit: significat enim bubulcum [10]). Inde cultum eius et sacerdotium ad agriculturam spectare, certe spectavisse olim consentaneum est. Accedit quod ad illam antiquissima quaeque Atticae tunc temporis a Pelasgis inhabitatae pertinuerunt sacra. Minervam autem a priscis Atheniensibus in arce cultam nil nisi numen arvale fuisse, in disquisitione de gentibus Atticis iterum iterumque repetenda est sententia, qua sola permultis clarissima lux affulget sacris [11]). Verumenim postea Minerva quidem in arce retenta, sed sacris Cereris Eleusiniae in urbem receptis originaria eius cultus pars in dies obscurata magis et dea quasi alia facta est; praesertim cum etiam Iones, qui Pelasgis in Attica successerunt, ab agricultura alienissimi hanc deam ut primariam cum Apolline suo venerandam adoptarent. Sic Minerva *πολιάς* et *πρόμαχος* evasit. Attamen in Panathenaeis etiam seriore tempore haud pauca fuisse, quae ad agriculturam spectaverint, dum alia nil nisi bellum spirarent, nemo infitias iverit. Familia autem, quae iam ante Ionum adventum sacerdotalem circa deam consecuta erat honorem, quum retineret hoc splendidissimum munus, licet pelasgicae esset originis, tamen inter Iones quoque haud exiguum nobilitatis gradum adepta est. A Buta igitur descendit Butadarum gens: quod quomodo intelligendum sit, accuratiorem expositionem licet alii loco reservaverim, tamen sententiae meae summam paucis

6) Illustravit hasce fabulas Müllerus l. c. cap. I. — Testimonia veterum collegit Meursius in regn. Att., II, 6, 7.

7) Paus. I, 26, 5. Hellanic. fr. XIII. ed. Sturz. Apollodor. l. c. et III, 14, 6, 9. 15, 1, 1. cum obss. Heynii p. 330 et 332. Cic. de Nat. deor. III, 19, 49 sq. Virgil. Ge. III, 113 sq. cum Servii nota. Aristides tom. I. p. 22 Canter. — Plura dedit Meurs l. c.

8) Etym. M. *Ἐριχθεὺς ὁ Ἐριχθόνιος καλούμενος*. Nomen ab *ἐρέχθεσθαι* derivandum esse videtur, ut cognomentum sit Neptuni ipsius, (cf. *σεισίχθων*. Clavier. hist. des prem. t. de la Grèce. I. p. 149 sq.) deinde nomen herois Neptunii.

9) Apollodor. III, 15, 1, 1. cum obs. Heynii p. 332.

10) Etym. M. *Βοῦται, βούκολοι*. Aeschyl. Prometh. 585 (Io loquitur): *φοβοῦμαι τὸν μυριωπὸν εἰσορῶσα βούταν*. Ad Argum ab Aeschylo *βούταν* appellatum et a Nicone pictum pertinet proverbium *Θᾶσσον ἢ Βούτης*, apud Hesych., Phot., al. — A Buddha vero Butadae nullo modo descendere possunt. Obstant tum alia permulta quae sana mens cuivis statim suppeditabit, tum chronologorum ratio. Gautama enim sive Buddha non ante sextum a. Chr. n. vixit saeculum.

11) Nisus sum in expositione Mülleri l. c. cap. I.

hic iam indicare coactus sum. Pelasgi, primi quos novimus Atticae regionis incolae, utpote agricolarum et opificum natio cum singulos homines tum totas familias aut a negotio in iis hereditario — agricolas a singulari cui addicti erant agriculturae genere et specie, sacerdotes a munere — aut a regione quam incolebant, simplicissimo modo denominasse videntur. Ita familia, quae prima fortasse boum aratro iunctorum inclaruit usu *Βουζυγία*, singuli gentiles *Βούζυγαι* appellati sunt, familia bubulcorum *Βουτεία*, singuli gentiles *Βοῦται*. Adde *Φρεωρύχους* puteariorum familiam, *Δαιδάλους* artificum, *Κήρυκας* praeconum, *Δαιτροὺς* divisorum, *Βουτύπους* bovicidarum; et quum negotia in familiis hereditaria essent, dici non potest, utrum haec nomina tunc temporis propria fuerint an appellativa. Sed mox alium valere videmus denominandi morem, quem, quatenus ad Atticam pertineat, ionicum esse dico. Singulis enim ab animi indole, a corporis conditione, a fortuna, rebus gestis et fortiter factis, a virtute, qua prae ceteris excellunt, nomina tribuuntur, quemadmodum sunt *Ἀμύνανδρος*, *Θησεύς*, *Ἴων*, et longe plurima quae innotuerunt Graecorum nomina propria. Inde patronymicâ quam dicunt terminatione, vere gentilicia fiunt, Pelasgis plane ignota, veluti *Ἀμυνανδρίδαι*, *Θησεΐδαι*, *Ἰονίδαι*, ex quibus Graeci — in Attica Iones — nobilitatem seu originem a claro heroe ductam cognoscere sibi visi sunt. Eandem secutae rationem Pelasgorum quoque gentes, quarum pars ad nobilitatem nonnullam evecta est, heroes eponymos sibi praefecerunt fabulisque exornarunt. Nunc demum Buzyges Buzygen, Ceryces Cerycem, Butae Butam, alii alium gentis suae iactarunt auctorem. Nonnunquam etiam patronymicam adoptant nominis formam, ut e *Βούταις* facti sunt *Βουτάδαι*, e *Δαιδάλοις Δαιδαλίδαι*, (ex *Εὐμόλποις Εὐμολπίδαι*). — Secundum ionicam populi Attici divisionem gentes politicae fuere societates tricenas complexae familias, atque externis plerumque nexae vinculis [12]); ita tamen ut omnes familiae, quae eidem adscriptae erant genti, unum heroem eponymum colerent, eademque sacra gentilia haberent. Fortasse omnes familiae, quae claro inter maiores heroe carebant, alii adscriptae sunt familiae, quae iam gavisa heroe eponymo nomen et sacra cum illis communicaret. Postea matrimoniis inter se iunctis vinculum initio nonnisi politicum arctius contrahentes in veram gentem cognatione et natura nexam coalescebant, ita ut mox singulus quisque heroem eponymum illum etiam suum iure praedicare posset avum. Haec ratio praesertim in nobilibus Ionum ipsorum constituendis iniri potuit gentibus. Agricolae autem et opifices ita in gentes distributi sunt, ut triginta vinitorum familiae eandem terrae particulam inhabitantes in unam gentem collectae *Βρυτιάδαι* dicerentur, triginta aliae, quae triticum serebant in gentem *Εὐπυριδῶν*, triginta puteariorum familiae in gentem *Φρεωρύχων*, triginta caprariorum familiae in gentem *Χιμαριδῶν* includerentur [13]). Tunc inventa sunt permulta gentium ignobilium nomina, quorum haud pauca adhuc in demorum nominibus latere puto. Va-

12) Perpaucae sane familiae tam amplae fuerint, ut ex sese ipsis triginta domus, itaque per se solae gentem ionicae divisionis constituere possent.

13) Vides ad quaestionem, an gentes re vera originem a heroe traxerint, quem nomen gentilicium indicet, in universum responderi non posse, sed singulas gentes per se spectandas esse. Nimium pernegare videntur ii, qui in gentiliciis auctores gentium nusquam comparere contendunt.

Init autem et duravit hic rerum status ad Clisthenem usque, qui populum in decem tribus et Atticam in demos distribuendo publicam familiarum et gentium conditionem sustulit, atque politicam earum auctoritatem abolevit. Demorum nomina partim antiqua iam in usu erant et retinebantur, ut duodecim Ionum urbes, ex quibus, quum Tetrapolis quatuor, Epacria tres complexa esset vicos, nunc septendecim demi facti sunt; partim, ubi numerus illorum non sufficiebat, nova invenienda erant. Et haec illa sunt, quae a gentibus desumta esse existimo demum incolentibus [14]). Ita orta sunt pagorum nomina qualia innotuerunt *Θυργωνίδαι*, *Δαιδαλίδαι*, *Βουτάδαι*, *Σκαμβωνίδαι*, *Φιλαΐδαι*, *Περιθοΐδαι*, *Φρεαῤῥοι*, *Χολλίδαι*, et multa alia, quorum haud pauca simul gentium nomina fuisse testimoniis veterum certiores facti sumus, de aliis nihil memoriae proditum est. Totius reipublicae conversione a Clisthene facta nobilissimae tantum quae heroe eponymo coniunctae erant gentes, aut inclytis maioribus, aut honoribus publicis hereditate tradendis, praesertim sacerdotalibus, gavisae, protinus florere potuerunt [15]); ignobiles sublata politica, qua sola vinciebantur, earum conditione, maximam partem in singulas domos rursus dilapsae sunt, ut *Οἰνοεῖς*, *Ἀναχαιεῖς*, *Κρωεῖς*, *Ἀμαξιαῖοι*, al. Sed iam revertamur, unde digressi sumus, ad Butadas. Demonstratum est, qua ratione gens et pagus eodem designari potuerit nomine. Omnes igitur pagi *Βουτείας* incolae Butadae (scil. *τῶν δήμων*) vocati sunt, licet ad gentem eius nominis neutiquam pertinerent, quae sane non totum pagum complevit, imo sedem vel domicilium partim in urbe habuit. Ut gentiles autem a paganis discernerentur, quod propter sacra gentilia, propter iura et honores, quorum alteri expertes erant, quam maxime necessarium fuit, sacerdotalis Butadarum gens nomine *Eteobutadarum* [16]) sese conspicuam esse voluit [17]). Huic simplicissimae rei explicationi congruunt omnia veterum testimonia [18]). Nec si quis etiam *gentem* simplici Butadarum nomine introduxit, hoc nos offendere potest, quandoquidem istud

14) Manifestum eius rei testimonium hoc esse videtur, quod pagos a gentibus denominatos neque in fabulis aevi heroici, neque in historia temporis Clisthenem praecedentis commemorari videmus.

15) Quum fontes autem, ex quibus doctrinam nostram de gentibus Atticis haurimus, fero omnes tempus quod post Clisthenem fuit, respiciant, intelligitur, familias et gentes de quibus aliquid memoriae proditum sit, omnes ad hancce referendas esse classem.

16) In fragmento elegiaco, quod exhibet marmor Choiseulianum (Boeckh. Corp. inscr. num. 666.), legitur *Βουταδέων ἐτύμων* pro *Ἐτεοβουταδῶν*, cui formae refragratur metrum.

17) Ea enim sententia inest in verbis Harpocrationis, postquam Butadas demi incolas attulit, scribentis *Βούτης, οὗτος ἔσχε τὴν ἱερωσύνην. καὶ οἱ ἀπὸ τούτου* — sed non illi demotae — *Βουτάδαι καὶ Ἐτεοβουτάδαι, οἱ ἀπόγονοι τοῦ Βούτου, τὸ γὰρ ἐτεὸν τὸ ἀληθὲς δηλοῖ.* Eadem fere sunt verba Suidae.

18) Permira est vulgata hac de re opinio, post Gronovium ad Harpocrat. (vol. I. p 235 sq. ed. Lips.) iterum atque iterum repetita. Nempe sacerdotes sequentis aetatis, qui in munus primi illius Butae successerint, Butadas dictos esse volunt, *licet e posteritate eius utique non fuerint.* Ideo distinguendi causa eos qui re vera sanguini Butae debuerint originem, Eteobutadas sese appellasse. Sed in sacerdotibus Butae successoribus, heroem quasi ipsum quotannis repraesentantibus, hoc sine dubio imprimis provisum est, ut ex originaria Butadarum essent familia, cui munus hereditarium concessum erat. Igitur si nemo praeter sacerdotes istos Butades dictus esset, nunquam illa distinctione opus fuit. Alios igitur, quibus honor sacerdotii non competierit, Butadarum nomen adrogasse sibi statuendum, ut vera Butadarum familia se ab illis segregare cogeretur.

semper proprium illius familiae nomen mansit, et additamento neutiquam ubivis opus fuit. Taylorus vero magnopere erravit, *demum* Butadarum, (quippe qui in titulis nondum repertus sit), nunquam exstitisse, sed mera confusione cum gente ortum, et in omnibus vett. scriptorum locis nonnisi de hacce ipsa cogitandum esse contendens (vid. praef. ad Lycurg. vol. IV. p. 122 R.). Pagum enim firmant lexicographorum glossae, quae vett. Scholiastis et Atthidum auctoribus debentur. Ac primarium Taylori argumentum, decretum illud de remuneranda Lycurgi quaestoris virtute, (ap. Pseudoplut. vitt. X. orr. vol. IX. p. 384 R.) incipiens *Λυκόφρων Λυκούργου Βουτάδης ἀπεγράψατο κτλ.* (cf. p. 386: *δεδόχθαι τῷ δήμῳ ἐπαινέσαι μὲν Λυκοῦργον Λυκόφρονος Βουτάδην ἀρετῆς ἕνεκεν*) gravissimum est quod contra viri docti sententiam habeo testimonium. In decretis enim et omnibus quae ad rempublicam pertineant titulis nunquam *gentem* hominum comparere, sed non omitti posse *demi* nomen, hodie satis nota res est, cuius causae neminem latere possunt. Itaque Pseudoplut. l. c. p. 345 recte scripsit *Λυκοῦργος δήμων δὲ τῶν Βουτάδης, γένους τοῦ τῶν Ἐτεοβουταδῶν.*

De sacerdotiis genti Butadicae iniunctis.

Primum ex hac gente *feminam Minervae Poliadis sacerdotem* fuisse constat, cuius munus inter honorificentissima numeratum est [19]). Praeter optimum huius rei testem Draconem de gentibus ap. Harpocrat. s. v. *Ἐτεοβουτάδαι* [20]), permulta alia certissima exstant testimonia [21]). Sacerdos, quum simul *κλειδοῦχος* esset, in aede Poliadis ipsa domicilium habuit [22]). Praeter ea, quae omnibus competebant sacrorum publicorum ministris, munera et dona (*γέρα* appellata), huic sacerdoti de nato quovis et de mortuo choenix hordei et tritici obolusque solvendus erat [23]). Agnam (tenellam et nondum tonsam) a sacerdote Poliadis mactari nefas fuisse traditur [24]). Hic mos ad piam illam a sacrificiis cruentis abstinentiam agricolis propriam et sacrorum in quibus comparet summae antiquitatis testimonium, referendus est; de qua statim plura dicturus sum ad gentem Buzygiam. Cur eidem sacerdoti a caseo viridi in Attica presso abstinendum fuerit [25]), dum peregrino et advecticio vesci liceret, nescimus. Ceterum non opus fuisse, ut virgo innupta esset, apparet ex Pseudoplut. l. c. p. 352 R. Fortasse id spectabatur, ut provectiore esset aetate, maximeque probabatur, si vidua erat [26]). Deinde *Neptuni Erichthonii sive Erechthei* coniunctam cum Poliade tenentis aedem ex hac gente sorte legebatur *sacerdos* [27]). Huic solenne, quod apud aras in Erechthêo positas obeundum erat, publice demandatum

19) De nomine eius inscriptionibus adiecto vid. inf. disputat. de Phillidis extr.

20) *Ἐτεοβ. … ἐκ δὲ τούτου καθίσταιο ἡ ἱέρεια τῆς Πολιάδος Ἀθηνᾶς, κατά φησι Δράκων περὶ γενῶν,*

21) Aeschin. de legat. §. 147. (vol. III. p. 313 R.) Ulpian. ad Demosth. Mid. (p. 373.) p. 688 R. Cf. sup. not. 2. 3.

22) Müller. l. c. p. 13 et 29.

23) Oeconom. Ps. Arist. II, 4.

24) Androtion. ap. Athenae. IX. 4. p. 375; necnon Philochor. ibid. (ed. Siebel. p. 40. 118.) Cf. Pausan. I, 26, 5.

25) Strab. IX. p. 395 in.

26) Cf. inf. ad Eumolpid. not. 22. ad Phillidas not. 3.

27) Apollodor. III, 15, 1. 1. Pseudoplut. l. c. p. 353. Cf. Cic. de Nat. deor. III, 19. Pausan. l. c. —

fuit ministerium. Graeca dicendi ratione sacerdos eodem appellabatur nomine, quo heros, in cuius munus successerat, ipsius quasi repraesentans in omne aevum vigentem personam [28]). Sic dicebatur *ὁ Βούτης*, *ὁ Εὔμολπος* (*ὃς ἐμύησε, καὶ μυεῖ τοὺς Ἕλληνας*), *ὁ Βουζύγης*, *Βούτυπος*, *Κῆρυξ κτλ.*, nomine proprio neque addito, neque antegresso. Praeterea sacerdos Erechthei in Scirophoriis albam umbellam gestabat [29]). Nimirum totam huius festi quod Minervae Sciradi peragebatur Eteobutadae instituisse et duxisse videntur pompam [30]).


Lycurgi et Lycophronis familia [1]).

Innotuit Eteobutadarum una tantum, sed longe nobilissima et celeberrima totiusque gentis facile princeps familia sive domus [2]). Maiores enim etiamsi de populo Attico optime meritos [3]) tamen longe superavit Lycurgus Lycophronis filius, Lycurgi nepos, Lycomedis abnepos, quaestor aerarii. Vitam eius enarrarunt auctor vitt. X orr. vol. IX. p. 345 sqq. R., Photius in biblioth. cod. 268. p. 46, 38 Bekk., ubi falso Lycurgus *τὸν δῆμον Ἐτεοβουτάδης* dicitur, et Taylorus in praef. ad Leocrateam, (Orr. Graec. vol. IV. p. 205 sqq. R.) quibuscum colligendus Boeckhius in Oecon. civ. Athen. pluribus locis ex ind. cognoscendis, et Müllerus de Min. Pol. p. 17. Lycurgus cum uxore Callisto tres procreavit filios, quorum primo natu nomen Abronis avi materni, secundo suum ipsius, minimo Lycophronis avi paterni indidit. Quum Abroni successio in sacerdotium Neptuni sorte obtigisset, Lycophroni hoc munus sponte concessit. Idem Lycophro solus ex Callistomache unicam suscepit filiam totius domus *ἐπίκληρον*. Nupsit ea Cleombroto cui unum peperit filium ab avo Lycophrone adoptatum, heredem factum et denominatum. Sed spes propagandae familiae in hoc Lycophrone posita irrita facta est praematura eius morte. Callisto secundum cum Socrate quodam iniit matrimonium et Symmachum genuit, inde a quo familia propagata est ad extrema usque Graeciae post Chr. n. saecula. Postquam virorum progenies quater defecerat, Lycurgi domus cum nobilissima Lycomidarum familia coaluit. Stemma, quod iam propositurus sum, debetur titulis in Erechthêo dicatis, quibus sese usum esse affirmat auctor vitae Lycurgi l. c. [4]).

28) V. Boeckh. Corp. inscr. n. 468. Aram *ΙΕΡΕΩΣ ΒΟΥΤΟΥ* Stuartius in Erechtheo arcis Athenarum invenit; Translat. german. vol. I p. 471.

29) Schol. ad Aristoph. Eccl. vs. 18: *Σκίρα ἑορτή ἐστι τῆς Σκιράδος Ἀθηνᾶς, Σκιροφοριῶνος ιβ'. (οἱ δὲ Δήμητρος καὶ Κόρης.) ἐν ᾗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει σκιάδειον λευκόν, ὃ λέγεται σκίρον.* Ducebatur haec pompa tempestate aestiva inde ab arce usque ad campum *Σκιρὸν* in via Eleusinia. Preces ad Minervam dirigebantur, ut nimium et nocivum solis ardorem a satis arceret. Eodem spectat gestatio albae umbellae, (albus color ad prohibendos solis radios maxime idoneus,) quam invenit Minerva. Lex. rhet. in Bekk. ined. I. p. 304. Seriore tempore quum Minerva iam exuisset arvalem naturam, haesitabant, utrum hoc festum in Cereris an in Minervae celebraretur honorem. Vid. Müller. l. c. p. 15 sq. Cf. Siebelis ad Paus. vol. I. p. 133.

30) Schol. l. c. (Phot. in lex. rhet. et Harpocrat. s. v. *Σκιρόν*,) descripta pompa addit *κομίζουσι δὲ τοῦτο Ἐτεοβουτάδαι*.



1) Nomina Lycurgi et Lycophronis in hac familia per aliquot aetates maximo cuique natu per vices data sunt. In iisdem alium simul observare licet Graecorum in dandis nominibus morem, de quo Boeckh. in Oecon. civ. Athen. vol. II. p. 235: »Die Namen der Väter und Söhne haben oft solche Aehnlichkeit wie *Ναυσίφιλος Ναυσινίκου, Καλλίστρατος Καλλικράτους κτλ.*«

2) Pseudoplut. vitt. X. orr. l. c. p. 345.

3) Lycomedem et Lycurgum I publica sepultura honoratos esse tradit Pseudoplut. l. c. p. 359. Cf. decretum p. 384.

4) Cf. Pausan. l. c.

5) In hacce columna computationem aetatum exhibuimus, quas singulas triginta quinque annorum statuere liceat. Basis in qua nitimur, est Lycurgi quaestoris Atheniensium aetas, qui quum Demosthenis aequalis fuerit (attamen paulo maior natu, si patrem eius triginta viri iam interfecerant), natales eius ante Chr. 405 poni

poterunt, ita ut a. 370 aetas eius finita sit, i. e. ut hoc anno circiter triginta quinque natus fuerit annos.

6) Quodsi Lycophroni III et Symmacho fratribus uterinis duas tribui aetates, ne colligat aliquis, me re vera illum a. 265, hunc 230 natum esse statuere, quod ineptum. Sed si paulo maius annorum spatium istis assignavimus, detrahitur hoc multifariis, quae in propagandis familiis aetates retardant casibus. Ceterum non sine certis causis computationem sic instituimus. Ne dicam, verisimillimum esse Callisto secundum matrimonium fortasse tum demum inire coactam esse, quum appareret a Lycophrone domum non propagatum iri, — e sqq. elucebit, necessario rationem ita instituendam esse ut tempora concinant.

7) Pseudoplut. vit. Lyc. p. 392 R. *Μήδειος, ὁ καὶ ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμολπιδῶν γενόμενος.* Cf. Sainte-Croix. de mysteriis tom. I. p. 240.

8) Vit. Lyc. l. c. *ὃς τὴν ἱερωσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε.*

9) Vit. Lyc. l. c. *ἥτις ἱεράσατο τῆς Ἀθηνᾶς ὕστερον.*

10) Vit. Lyc. l. c. *Διοκλέα τὸν ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας στρατηγήσαντα.* Huius Dioclis II natales Boeckh. ad Corp. inscr. p. 442. a Chr. 28 posuit, aetates paulo maiores (annorum 36.) computans decem inde ab olymp. 106 extr. = a. Chr. 352, ita ut 42 p. Chr. Diocles septuagenarius fuerit. Et circa id ipsum tempus (p. Chr. 42.) quum in tit. n. 320 Diocles memoraretur *στρατηγὸς ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας*, Dioclem II ex Pseudoplut. notum eundem esse concludit. Licet aetates uno anno maiores concedam, unde Boeckhius novem lucratur annos, tamen in eo consentire non possum, quod computationem ab ol. 106 extr. instituit Lycurgo Lycophronis filio (408 vel 405 nato) aetatem 54 annorum tribuens, unde alios 18 annos plures computavit quam nos. Exorsus ab anno circiter 36. Lycurgi vitae (370 a. Chr.) natales Dioclis II a. Chr. 55 igitur 27 annis ante constitui, quem quo anno Boeckhius illas poni posse ait. Dioclem autem, qui in tit. n. 320 memoratur *στρατηγὸς ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας* non Dioclem II Melitensem sed Dioclem III Hagnusium esse putaverim eo, quem titulus exhibet, anno florem aetatis assecutum. Comprobatur nostra ratio etiam Themistocle III, quem Plutarchi amicum et aequalem fuisse colligimus e Plutarchi Themistocle, cap. 32 extr. Natus est Plutarchus p. Chr. 50; sed si Dioclis II natales a. Chr. 28 ponimus, Themistocles III ex *aetatum* computatione, in qua nunc constandum est, vix ante 75 p. Chr. natus esse potest. Aliter haec eveniunt si Dioclis II natales 55 a. Chr. ponimus.

11) Pagum enim a Diocle mutatum esse, quum maiores eius Melitenses fuissent, apparet e Corp. inscr. n. 343 cum Boeckhii not.

PRAXIERGIDAE.

Plutarchus in Alcibiad. cap. 34 auctor est, eodem die, quo Alcibiades Athenas redierit, Plynteria Minervae celebrata esse. *Δρῶσι δὲ τὰ ὄργια*, pergit, *Πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος ἀπόῤῥητα τόν τε κόσμον καθελόντες καὶ τὸ ἕδος κατακαλύψαντες.* Idem testatur Hesych. in lexico suo annotans *Πραξιεργίδαι, οἱ τὸ ἕδος τὸ ἀρχαῖον τῆς Ἀθηνᾶς ἀμφιέννυντες.* — Sed sacrum istud munus, quod Praxiergidis circa sanctissimumum deae simulacrum obeundum fuisse legimus, ita comparatum est, ut singulae genti vel familiae, quae gentilicio illo nomine insignis fuerit, tribuendum esse videatur. Itaque prorsus cum Tayloro consentio, Praxiergidas inter gentes Atticas enumerante [1]).

Plynteriorum festum antiquitus in Minervae Agrauli sive Arvalis institutum erat honorem [2]). Postea vero quum Agraulos a Minerva seiuncta prima deae sacerdos fuisse

1) Ad Lycurg. tom. p. 123 R. nullis tamen adiectis neque argumentis, neque veterum scriptorum testimoniis.

2) Praeter Plutarch. l. c. et Xenoph. hellen. I, 4, 13. vid. Hesych. s. v. *πλυντήρια* cum intpp. — Meurs. Gr. fer. p. 228. lectt. Att, II, 13. Hermanni die Feste von Hellas. I. p. 329. II. p. 181.

putaretur [3]), factum est, ut Plynteria nymphae Agraulo celebrarentur. Inde scriptorum enata est dissensio. Ritus autem et caerimoniae hisce diebus festis peractae, poetarum et philosophantium fictioni ansam praebuisse videntur, ut, quemadmodum Hersen et Pandroson primas Ersephoras et Canephoras [4]), ita Agraulon primam *πλυντηρίδα* fuisse fabularentur [5]). Apparet haec sacra ad antiquissimam illam Minervae speciem pertinere, sub qua Pelasgi utpote strenuus agricolarum populus, quum Atticam possiderent, eam coluerint [6]). Qua de causa Praxiergidis ipsis haud immerito pelasgicam tribueris originem. Plynteriorum die vestimenta ligneae Minervae Poliadis statuae mari lavabantur [7]), signum denudatum interea tegumento velabatur, et quum tutelare civitatis numen propterea domi remanere coactum nemini adesse posset, dies inter maxime nefastos habebatur [8]). Discrimen vero statuendum inter eos, qui circa deam ipsam versantes eius vestes detrahebant, nudum signum obvolvebant, denique lotas vestes iterum induebant; et eas, quae lavandi tantum habebant ministerium. Nimirum istae *λουτρίδες* s. *πλυντηρίδες* appellatae binae singulis annis electae puellae [9]), nusquam a scriptoribus confunduntur cum illis, qui *Πραξιεργίδαι* appellabantur. Mirari subit hoc munus viris demandatum fuisse sacerdotibus. At si constructionem et fabricam signorum e ligno factorum reputamus [10]), concedendum erit, non cuiusvis esse potuisse singulas partes detrahere, explicare, denique omnia in pristinam formam restituere: ut uno verbo dicam, artificibus opus erat. Et Praxiergidas artificum gentem fuisse, innuit ipsum nomen [11]). Juvabit etiam de Phidiae posteris cogitare, quos apud Eleos simile munus Olympii Jovis statuae a sordibus mundandae consecutos et inde *Φαιδρυντὰς* dictos esse tradidit Pausan. V, 14, 5. [12]).

3) Insignis hac de re Photii exstat glossa s. v. *καλλυντήρια*. Cf. ad Butad. nott. 5. 8.

4) De Mercurio Herses amore capto, quum eam canistrum ferentem intuitus esset, cecinit Ovidius in metamorph. lib. II. vs. 724. De Pandroso cf. Ceryces.

5) Phot. l. c.

6) Cf. Müller. de Min. Pol. p. 3.

7) De lotionibus signorum et vestium, quibus statuae indutae erant, disputavit H. Spanhem. ad Callimach. in Pall. p. 597 sqq. Ern.

8) Plutarch. l. c. Hesych. *ἀποφράδες*.

9) Photius in lex. s. v. *λουτρίδες*.

10) Cf. Quatremèrii de Q. Jov. Olymp. p. 8 sq. C. O. Müller. archaeolog. art. p. 45 sqq.

11) Apud Laur. Lyd. p. 45 (118 Roether.) leguntur haec: *ὅθεν* (a pontibus) *καὶ πραξιεργίαι δῆθεν ἐκαλοῦντο* (pontifices). *τοῦτο γὰρ σημαίνει τὸ ποντίφεξ, ἀπὸ τοῦ δυνατοῦ ἐν ἔργοις*. Ad *πραξιεργίαι* annotat Rr.: »hanc vocem in lexicis desideras.« Legas facillima (si literas maiusculas cogitas) mutatione *Πραξιεργίδαι*.

12) Cf. etiam Hesych. s. v. Plura de Phaedryntis in explicandis gentibus Eliis afferemus.

BUZYGIA.

A Buzyge, qui primus bobus aratro iunctis in Attica terram aravisse fertur, derivant gentem Buzygiam, cuius ad priscam si respexeris originem proximum a Butadis locum ei tribuere non dubitabis [1]). Hac de gente Buzygem sacerdotem ad instituendas arationes sacras lectum esse testatur Hesychius [2]). Nomen familiae more prisco a negotio inditum nil nisi appellativum esse, certe fuisse, statim apparet. *Βουζύγης* autem cum boviiugam significet, sic facillime fieri potuit, ut singulus quisque successor herois eodem nomine appellaretur [3]); quemadmodum omnes in Eumolpi primi quem ferebant hierophantae succedentes munus ipsi quoque Eumolpi dicti sunt. Idem de Cerycibus valet, idem de Daetris, de Butypis, postremo de omnibus hoc modo appellatis. Quorum nominum igitur triplex distinguenda est significatio. Primum *Βουζύγης* designat heroem — nomine proprio, deinde sacerdotem in herois munus quasi succedentem — nomine appellativo, denique singulum quemvis Buzygiae gentilem — nomine gentilicio. Tertiam significationem de iis gentibus, quae patronymicam adoptarint formam, non valere sponte patet. Itaque Butes et Eumolpus dicitur et heros et sacerdos, gentiles autem Eumolpidae et Butadae vocantur. Denique pelasgicam Buzygum originem et summam gentis vetustatem praeter denominandi rationem, sacra, quorum antistites erant, satis manifestare videntur.

Verum enim vero bovem utilissimum omnium esse animal, homines prisci, iique naturali tantum intenti deditique vitae nonnisi gratissimo summeque pio cognoverunt animo [4]). Sed quum de agricolarum natione sermo sit, discrimen ponas inter duplicem huius animalis utilitatem et quem inde quaesiverint usum. Primo taurus agriculturae inserviebat; seriore demum aetate mactabatur. De posteriore bovis usu sequenti capite, de priore nunc est cogitandum. Ad eum enim retuleris antiquissimam, quam Buzyges olim sanxisse fertur legem, *interfectorem bovis ipsum supplicio afficiendum esse* [5]). Anti-

1) Etym. M. *Βουζυγία γένος τι Ἀθήνησιν ἱερωσύνην ἔχον. Βουζύγης γάρ τις τῶν ἡρώων, πρῶτος βοῦς ζεύξας τὴν γῆν ἤροσεν. ἀφ᾽ οὗ γένος Βουζυγία.* Plin. Hist. nat. VII, 57. (vol. II. p. 48 Lips.) »Bovem et aratrum Buzyges Atheniensis« (invenit).

2) *Βουζύγης· ἥρως Ἀττικὸς ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας· ἐκαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης· καθίσταντο δὲ παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ὁ τοὺς ἀρότους ἐπιτελῶν Βουζύγης.* Albert. ad h. l. conferri iubet Schott Obss. hum. V, 19. Scheffer. de re Ven. I, 8. p. 82. Spon. Misc. Erud. Ant. sect. X. p. 320. At ae lexicographorum glossae, quibus *βουζύγης* explicatur *Ἡρακλῆς*, ad Herculis cultum apud Lindios pertinent. Cf. Hefflteri disquis. de cultibus deorum in insula Rhodo, I. p. 24. — De Buzyge Lyci filia, quae cum Periclymeno filium habuit Erginum, cf. Müller. Orchom. p. 185.

3) Hesychius l. c. Boeckh. ad Corp. inscr. n. 491.

4) Judaei bovem appellabant honorifico nomine אַלּוּף i. e. »amicus, familiaris«. — *Φρύγες δὲ ἐὰν παρ᾽ αὐτοῖς τις ἀροτῆρα ἀποκτείνῃ βοῦν, ἡ ζημία θάνατος αὐτῷ.* Aelian. Hist. anim. XII, 34. p. 703.

5) Varro de re rust. II, 5. Plin. hist. nat. vol. II. p. 94 Lips. Perizon. ad Aelian. V. H. XIV, 14. Jacobs. ad Anthol. Vol. II. P. 2. p. 232.

quissimas et simplicissimas, quas natura quasi praescripserit ipsa, leges cum in aliis terris tum praesertim in Attica cum initiis agriculturae coniunctissimas fuisse satis nota res est; qua de causa agriculturae inventores, sive dii, sive homines, etiam primi legislatores praedicantur. Sic leges Buzygiae cum diris adversus impios adiectis (*Βουζύγειοι ἀραί*) in proverbium abierunt [6]). Exsecratus enim erat Buzyges eos, qui aquam et ignem cum alio communicandum recusarent; qui errantes in viam non reducerent [7]); qui mortuos insepultos iacere sinerent [8]). Vetuerat etiam, ne quis alteri faceret, quod sibi fieri nollet [9]).

Omnia, quae Buzygibus tempore historico praestanda fuisse legimus, officia sacra ad agriculturam spectant. Mense Pyanepsione s. extremo auctumno, qua tempestate cum in omnibus benignioris coeli terris, tum per totam Graeciam frumentum seritur, in Attica tres celebrari solebant *ἱεροὶ ἄροτοι*, quorum primus in Sciro, secundus in campo Rario, tertius in urbe ipsa rite peragebatur [10]). His arationibus, quibus primae boum auxilio perfectae arationis pie recolebatur memoria, etiamsi priore tempore non omnibus, tamen primae et tertiae (Buzygiae dictae) sacerdos ille praeerat e gente Buzygia. Iisdem arationibus quum Atticae incolis nunc serendi tempus adesse publice quodammodo indicaretur, — id, quod a tempestate singuli cuiusvis anni pendebat, — has ferias sementivas non statis diebus celebrari potuisse consentaneum est [11]). Idoneum autem ad incipiendam sementem tempus a Buzygum gente, quae earum rerum peritissima fuerit, quotannis constitutum esse opinor; quemadmodum hodie metendi tempus et festum in nonnullis terris publica indici solent auctoritate. Qua de causa, licet arationes Buzygiae cum Thesmophoriis eodem fere tempore celebratae, si naturam et indolem earum spectamus, cum hisce sacris ad eandem pertinuerint religionem, tamen haec duo festa prorsus coalescere non potuerunt. Thesmophoria enim statis agebantur diebus [12]). Verum etiam si quis arationes illas eidem quoqe numini — Cereri Eleusiniae — sacras fuisse existimat, is inter tempora non satis distinguit; nam sacra Buzygia longe priore tempore in Attica floruisse, quam quo Ceres et Proserpina in urbem invectae sint [13]), natura totius cultus et indoles perspicue docent. At aliquis quaerit, cuinam alii deorum arationes illae sacrae fuerint? Nisi fallor, Bu-

6) Prov. Vatican. app. I, 21.

7) Valckenar. ad Herodot. VII, 231. Cic. de off. I, 15. III, 13 Athenae. VI. p. 238 A. ibiq. Schweigh.

8) Schol. ad Soph. Ant. vs. 262. Perizon. ad Aelian. V. H. XIV, 14.

9) Quas leges quum Solonis aetate retractasset et reformasset Epimenides Cretensis, factum est, ut Aristoteles Buzygem ipsum Epimenidem vocaret, illud appellativum, hoc proprium heroi tribuens nomen. Creuzer. in Symbol. et Mythol. IV. p. 348. Serv. ad Virgil. Ge. I, 19: »Epimenides, qui postea Buzyges dictus est, secundum Aristotelem.« Auson. epp. 22, vs. 44 sqq. Lobeck. Aglaopham. p. 209.

10) Plutarch. praec. coniug. p. 144 (vol. VI. p. 544 R.): *Ἀθηναῖοι τρεῖς ἀρότους ἱεροὺς ἄγουσι, πρῶτον ἐπὶ Σκίρῳ, τοῦ παλαιοτάτου τῶν σπόρων ὑπόμνημα, δεύτερον ἐν τῇ Ῥαρίᾳ, τρίτον ὑπὸ Πόλιν, τὸν καλούμενον Βουζύγιον.* De tempore arationis secundum Hesiodum cf. Ideler. Chronol. vol. I. p. 242. Add. Theophrast. hist. plant. VIII, 1. Arat. phaenom. 266 cum nota Vossii.

11) Quod expressis verbis dictum est a Jo. Philadelpho apud Laurent. Lyd. de mens. p. 32 (p. 88 Roether.): *Αἱ τοῦ σπόρου ἑορταὶ αἱ λεγόμεναι σημαντῖραι* (nimir. apud Romanos) *τουτέστι σπόριμοι οὐκ ἔλαχον ὡρισμένην ἡμέραν, ὅτι οὐκ εὐπρεπὴς πᾶς καιρὸς εἰς ἀρχὴν σπόρου· ἢ γὰρ πρώϊμος διὰ τὰς ἐπομβρίας, ἢ ὄψιμος διὰ τὰς βραδυτῆτας γίνεται.*

12) Meurs. Graec. fer. in Gronov. Thes. VIII. p. 791 sqq.

13) Cf. ad Eumolpidas not. 10.

zygi qui bovem et aratrum invenit, et Minervae Arvali [14]), praecipue Sciradi. Postremo nullam antiqnitus Buzygiis cum Eleusine intercessisse coniunctionem apparet e locis, quibus illa celebrabantur. Primus *ἱερὸς ἄροτος* in Sciro peragebatur, itaque tn Attico solo. Scirum autem deae Minervae dicatum fuisse locum, ubi templum habuerit, et unde cognomen traxerit, nemo ignorat. Et, quodsententententiam nostram quam maxime corroborat, Minervam Sciradem agriculturae praefuisse, id iam supra vidimus. Institutus esse ferebatur huius Minervae cultus (unde colligas eius vetustatem) aut a Sciro, vate quodam Dodonaeo, qui Erechtheo auxilium tulerit, ant a Theseo post Minotauri caedem [15]). De tertia aratione sacra *ὑπὸ Πόλιν* i. e. prope arcem [16]) facta idem valet, quod de prima contendimus. Arationem secundam, quae Plutarcho teste in campo Rario celebrabatur, antiquitus quidem ad sacra Eleusinia pertinuisse, quibuscum postea in Atticam translata sit, concedo. Nam pro Buzyge, quem Attici colebant, Eleusinii Triptolemum suum celebrabant, item bovis et aratri tribuentes ei inventum [17]). Innotuerunt etiam tres antiquissimae Ttriptolemi leges Bnzygiis illis simillimae [18]). Denique ut Buzygem arationibus Atticae sacris ita Triptolemum Eleusiniis praefectum fuisse comprobatur ipso nomine, quod a ter arato derivabis agro [19]). Sed ea sufficiant ad explicandam Buzygis cum Triptolemo solennem confusionem. — Alterum quod Buzygibus demandatum fuisse legimus sacerdotale munus, nimirum ut sacras boves Eleusine alerent et curarent [20]), non ab initio, sed seriore demum aetate iis iniungi potuisse, sponte patet ex disputatione proxime antegressa. — Tertio loco suspicor iis, uti ceteris, quae Cereri ministrabant, gentibus, de iure sacro respondendum fuisse; ita ut leges a Buzyge latas interpretarentur, et capite damnatos exsecrarentur [21]).

Nemo non videt, instituta, leges et diras, quae Buzygi debeantur, remotissimae tantum et, qua infimos animi culturae gradus homines nondum superaverant, accommodas esse aetati; simul apparet eas non cuiusvis generis hominibus, sed nonnisi agricolarum

14) Aristid. vol. I. p. 20 Dind.: *ἐνιδὸν γεωργίᾳ τε καὶ ἐμπορίᾳ τῆς Ἀθηνᾶς οὔσιν ἀμφοτέροις καὶ Βουζύγης τις ὑπῆλθέ με τῶν ἐξ ἀκροπόλεως, καὶ ὡς οὐκ ἦν τῷ γεωργῷ οὔτε τὸ ἄροτρον οὔτ', ἐπειδὴ καὶ τὸ ἄροτρον τό γε ζεῦξαι τὰς βοῦς » εἰ μὴ ἐπιφροσύνην δῶκε γλαυκῶπις Ἀθήνη «, δι' ἧς ἄροτρον μὲν καὶ ναῦς ἐδημιουργήθη, ἐζεύχθησαν δὲ ἵπποι καὶ βόες.* Cf. Heffter. l. c. II. p. 126. — Buzygis cum Pallade coniunctionem colligas etiam e Polyaeni strat. I, 5, ubi Palladium viro Atheniensi nomine Buzygi traditum esse legimus Athenas transportandum.

15) Pausan. I, 36, 4. cum adnot. Siebelis. cf. 1, 4. Harpocrat. in *Σκίρον*. — Schol. ad Aristoph. Eccles. init.

16) *Πόλιν γὰρ τὴν ἀκρόπολιν ἔλεγον.* Etym. M. in *Διϊπολία*. Cf. Hemsterhus. ad Arist. Plut. p. 261.

17) Plinius Hist. nat. l. c. Auson. epp. l. c.

18) Porphyr. ee abst. IV. §. 23. p. 378 ed. Rhoer. Cf. Böttiger. nupt. Aldobrand. p. 165, ubi Triptolemi leges et Buzygiae perinde habentur.

19) Sriptolemus aut ipse cum Cerere consuevisse cogitatur *τριπόλῳ ἐνὶ ἀγρῷ*, ut Iasion agud Crutenses; aut ex eiusdem deae cum alio heroe connubio natus est *τριπόλῳ ἐνὶ ἀγρῷ*. Quum vero campus Rarius apud Eleusinios ille ter aratus ager ipse fuerit, nemo non videt, cur Rarus sive Rar Triptolemi pater perhibeatur. Pausan. I, 14, 3. Photii lex. s. v. *Ῥάρ*. Hesych. *Ῥαρός*. Suid. *Ῥαρίας*.

20) Aristid. vol. III. p. 473, 25. ed. Dind. *Βουζύγαι καλοῦνται οἱ τὰς ἱερὰς βοῦς, τὰς ἐν Ἐλευσῖνι ἀροτριώσας τρέφοντες. ἐκ τούτων δὲ ὁ Περικλῆς κατήγετο. τὸ γένος δὲ τούτου ἦν ἱερόν.* et vs. 15: *τοὺς τρέφοντας ἐν Ἐλευσῖνι τοὺς ἱεροὺς βόας ἀροτριῶντας βουζύγας ἐκάλουν. τοῦτο δὲ οὐκ ἐξῆν παντὶ τῷ βουλομένῳ ποιεῖν, εἰ μὴ μόνοις τοῖς ἱερεῦσι. πατρόθεν οὖν ἐκ τῶν τοιούτων εἷλκε τὸ γένος ὁ Περικλῆς. καὶ διὰ τοῦτο βουζύγην αὐτὸν ἐκάλεσεν.*

21) Cf. ad Eumolpidas nott. 25 sqq.

populo convenisse. Licet igitur suo tempore cum summa religione et pietate observatae sint, licet profundiore non caruerint sensu, et quasi mysterium fuerint, tamen seriore tempore, quo Athenienses urbis praesertim incolae recesserant ab agricultura, non potuit, quin omnis profundior horum sacrorum sensus evanesceret, et illae leges, idem quod Buphoniis et Diïpoliis accidit, mirae simplicitatis causa antiquarentur et paene ridiculae fierent. Feriae sementivae autem cum Cerealibus coaluisse videntur. Illud e duobus Eupolidis collegi fragmentis. In altero (quod Aristides nobis servavit vol. II. p. 174 Dind.) Demostratus quidam orator in comitiis pessimus, qui mala verba dabat et prava consilia, *Buzyges* vocatur *impius*. Ubi de Buzyge sacerdote cogitaveris, diras contra sceleratos et male ominata verba pro vetusto ritu effundente [22]). In altero fragmento (quod servavit scholiastes ad Aristoph. Lys. vs. 398) nescio quis Demostratum ipsum ita alloquitur: »Quid clamitas, quid male dicta s. diras voces cumulas, uti Buzyges, si quid mali perpessus est« [23]).

Ex annotationibus complurium ad Aristid. l. c. scholiastarum compertum habemus, Periclem a Buzyge paternum derivasse genus [24]). Pater eius Xanthippus Agaristam in matrimonium duxerat ex Alcmaeonidarum gente [25]), quibuscum illo tempore clarissimae totius Atticae familiae affinitate iunctae erant. Periclis domum, quatenus innotuit, e sequenti stemmate cognosces:

Ariphro

Xanthippus I [26])
ex quo et Agarista

Pericles I Cholargensis.
ex quo et Hipponici dimissa uxore [27]) — ex Aspasia Axiochi f. Milesia [28]).

Xanthippus II. Paralus. Pericles II.
ux. Isidori filia, Epilyci nept. [29]).

22) Fragmentum enim ita intelligo: Ad quaestionem *Ῥήτωρ γάρ ἐστι νῦν τίς ὤν γ᾽ ἐστὶν λέγειν;* respondetur *Ὁ Βουζύγης ἄριστος, ἀλιτήριος.* »Optimus oratorum nunc viventium est Buzyges iste, homo perniciosus, qui remp. pravis consiliis et malis verbis (in modum Buzygis effusis) perdit, quasi daemon ἀλιτήριος.«

23) Schol. l. c. *Δημόστρατος Βουζύγης ἐλέγετο. Εὔπολις δὲ ἐν Δήμοις μανιώδη αὐτὸν λέγει· Τί κέκραγας ὥσπερ Βουζύγης ἀδικούμενος.* Utrumque locum e Demis Eupolidis edidit Runkel. in fragm. Pherecr. et Eupolidis. p. 110. 111.

24) Licet interpretes ad firmandam falsissimam illius loci explicationem hoc attulerint, tamen indoles et tota ratio scholii docere videtur, hanc notitiam non ex textu ipso male intellecto haustam sive effictam, sed aliunde petitam esse. Scholiastae verba, quae huc pertinent, adscripsi iam sup. not. 20.

25) Herodot. VI, 131. Plutarch. Per. 3. *Περικλῆς — οἴκου δὲ καὶ γένους τοῦ πρώτου κατ᾽ ἀμφοτέρους.*

26) Plut. Per. 3. *Ξάνθιππος γὰρ ὁ νικήσας ἐν Μυκάλῃ τοὺς βασιλέως στρατηγούς.* (ol. 75, 2, ad quem annum v. Clinton. in fast.

27) Cf. adnotata ad Hipponicum III. in Callium et Hipponicorum familia. Dimisit hanc mulierem etiam Pericles, duobus ex ea sublatis filiis (Plutarch. Pericl. 24), quos utrumque pestifero morbo, qui belli pelop. tempore grassabatur, abreptos esse (olymp. 87, 3.) testes sunt Aelian. V. H. VI, 10. Plut. Per. 36. Notissimi sunt ex Protagora Platonico quippe quo chronologiam conturbare videantur. Cf. Stallbaum. praef. ad Prot. p. 17. Suid. in *δημοποίητος.* Moesto patri gratificaturi cives Athenienses nothos eius ex Aspasia pleno civitatis iure donaverunt, contra legem a Pericle ipso perlatam.

28) Plut. Per. 36. Pericles II. unus decem imperatorum ad Arginussas fuit.

29) Plut. Per. 36.

In titulo n. 448 mulier quaedam Honoratiana Polycharmis cum filia Junia Themistoclea generis originem non solum a daduchis (Lycomidis), a Cononibus, et Alexandro M., sed etiam ἀπὸ Περικλέων cum superbia iactat. — Buzygem quendam Marathonium, qui simul Jovis ἐπὶ Παλλαδίῳ sacerdos fuit (cf. sup. not 14), exhibet Corp. inscr. in tit. n. 491. Nomen Buzygis interiit [30]).

THAULONIDAE s. BUTYPI.

Cum sacris Buzygum, antiquitatem et religionem si spectamus, arctissime cohaerent Bovicidia s. *Βουφόνια*, quae sacrae Thaulonidarum genti *Butyporum* nomen dederunt. Hesychius s. h. v. Thaulonidas inter ἰθαγενεῖς refert [1]). Hereditarium in hac gente sacerdotale Bovicidae (*Βούτυπος*)[2]) fuit munus, qui cum Stimulatore (*Κεντριάδης*) et cum Divisore (*Δαιτρός*) in Bovicidiis celebrandis primas agebat partes. Hoc festum una cum Diïpoliis [3]), quorum ipsorum constituisse videtur partem, die XIV Scirophorionis [4]) quotannis in arce celebrabatur. Circa Jovis Polieï aram unus vel plures circumducebantur boves; quorum si quis molam s. placentam in altaribus positam depaverat, statim a sacerdote, qui inde Bovicidae (*Βούτυπος*, *Βούφονος*) nomen invenit, securi feriebatur. Sacerdos ipse, perpetrata caede, quam celerrime aufugit, securi tantum relicta. Ceteri qui adstant, sese hominem non novisse simulantes derelictam ab interfectore securim in iudicium trahunt, ubi damnata mari demergitur [5]). Ad illustrandum hunc

30) Ex coniectura Boeckhii tit. aetate Septimii Severi vel paulo post perscriptus est.

1) *Θαυλωνίδαι γένος ἰθαγενῶν.*

2) Hesychio docente s. v. *Βούτυπος*. In editt. hoc lemma quidem caret idonea explicatione. Sed emendandi ratio facillima. S. v. *Βούτυπον*, quae proxima antecedit, haec leguntur: *πυθμὴν Ἀθήνησιν ἐκαλεῖτο. ἐκ τοῦ Θαυλωνιδῶν γένους καθιστάμενος*, ubi Meurs. pro *πυθμὴν* proposuit *θύτην* explicans: »Butypum, sacrificium Athenis: e Thaulonidarum gente oriundus.« Sed ea non intelligo. Procul dubio verba *ἐκ τοῦ Θαυλ. γ. καθ.* sequenti glossae adiicienda sunt *Βούτυπος, ὁ βοῦν καταβάλλων — ἐκ τοῦ Θαυλ. γ. καθ.* Ceterum etiam illud »*Βούτυπον, πυθμὴν Ἀθήνησιν ἐκαλεῖτο*« tum recte habebit, et nihil mutandum erit; locus enim seu fundus (*πυθμήν*), in quo fiebat bovicidium, hic *βούτυπον* vocatur.

3) Cf. Pausan. I, 24, 4. 28, 10. Schol. ad Aristoph. Nub. vs. 981. Suidas v. *βουφόνια*. (Phavorin. p. 285 Basil.) et Hesych. v. *βουφ.* Meurs. Gr. fer. s. v. *Διιπόλια* in Gronov. Thes. vol. VII. p. 560 sq.

4) Etym. M.: *Βουφόνια, ἑορτή τις παρὰ Ἀθηναίοις. ἐν ᾗ πολλοὶ ἐθύοντο βόες· καὶ ἤγετο αὕτη σκιροφοριῶνος τετάρτῃ ἐπὶ ι.*

5) V. Pausan. I. 24. 4. 28, 10. Aelian. V. Hist. VIII, 3. cum intpp. Fusius enarravit has caerimonias Porphyrius de abstin. II, 29. Virgines enim aquam adportant, qua superinfusa culter et securis cote acuantur. Deinde securis bovicidae traditur, qui tauro caeso fugam capit. Alius mactat illum, e carne epulae parantur. Corium bubulum autem fartura aliqua repletur, atque animal hoc modo refectum aratro iungitur. Tum iudicium de caede bovis instituitur in prytaneo, reis adductis omnibus, qui aderant. Sed quum singulus quisque culpam a sese amoliturus in alium derivet, postremo securis quae sese defendere nequit, condemnatur.

ritum Androtio narraverat, antiquissimo tempore, Erechtheo regnante [6]), quum in eo fuerit sacerdos, ut Jovi sacra faceret, bovem ab agro redeuntem hordeum in ara paratum depavisse; qua de re Thaulonem quendam iratum ut fuerit bovem securi cecidisse [7]). In memoriam et expiationem huius facinoris Buphoniorum festum quotannis celebrabatur. Et gentes, quibus officia sacra competebant hereditaria teste Porphyrio l. c. tres fuerunt: *Βούτυποι* [8]) a caedendo bove nomen adepti, sive Thaulonidae ab eo, qui primus hanc caedem perpetraverat [9]), *Κεντριάδαι* a circumagendo bove circa aram; et *Δαιτροί* a parandis et distribuendis epulis, quae bove caeso fiebant.

Quum primum enim intellexissent Attici, quanta perciperetur e bobus in agris colendis utilitas, animo grato legem sanxerunt, ne quis male habeat, sed aestimet atque honoret hoc animal pro meritis. Et si quis occideret bovem, eum ipsum supplicio iusserunt affici [10]). Attamen simplicibus et puris, quos terra gignit fructibus non amplius contentos, et ad carnium esum conversos, maximus bovis in hanc quoque rem non diu latere potuit usus [11]). Quid si priscorum Atheniensium pietatem et nativam agricolarum populi simplicitatem cogitas, magis consentaneum est, quam in honorem primi quem mactaverint tauri solennem eos instituisse caerimoniam qua scelus expiaretur. Nunc in deorum quoque aris hostia cruenta cadebat; et summo deorum, Jovi *Πολιεῖ*, maximum immolabatur animal, bovem dico sive taurum [12]). Idcirco factum est, ut caerimonia, qua primi bovicidii recolebatur memoria, Diipoliis adiungeretur. Poterat enim cuivis taurino adnecti sacrificio; sed antiquissimo, quo Buphonia instituta sunt, tempore nonnisi summo deorum taurus immolatus esse videtur [13]). Ad comedendam molam sacram bos propterea stimulabatur, ut proxima caedis eius haberetur causa vel excusatio; sic primo, qui caesus est bovi in fabula idem scelus insimulatum esse vidimus [14]).

6) Hoc insero ex Pausan. I, 18, 10.

7) Androtio (p. 111 Sieb.) ap. Schol. ad Aristoph. Nub. 981, unde sua mutuati sunt lexicographi sup. laud. et Suid. v. *Θαύλων*. Diversa in singulis tradidit Porphyr. l. c.

8) Ceterum *βούτυπος* dicebatur unusquisque bovem qui mactabat sacerdos. Suid. s. v. Etym. M. s. v. Apollon. Rhod. IV, 469. II, 91 cum schol. — Quodsi annotat. Hesychius: *Βούτης* (*ὀρίγανος κτλ. καὶ βούκολος. καὶ παροιμία κτλ.*) *καὶ ὁ τοῖς Διιπολίοις τὰ Βουφόνια δρῶν*, hoc merum errorem esse puto. Nullum reperi vestigium, Butyporum sacerdotium unquam cum Butadico coniunctum fuisse. Sed cf. not. ad Centriad.

9) Porphyrius l. c. §. 29. p. 154 discedens a vulgata Dionum quendam, aut Sopatrum eumque non indigenam primum Butypum fuisse retulit.

10) Cic. de nat. deor. II, 63: »Tanta putabatur percipi ex bobus utilitas, ut eorum visceribus vesci scelus haberetur.« Varro de re rust. lib. II. cap. 5. de bove: »hic socius hominum in rustico opere, et Cereris minister. Ab hoc antiqui manus ita abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset. Qua in re testis Attica, testis Peloponnesus.« Add. Heffter. de Cult. deor. in ins. Rhodo. fascic. I. p. 24 sq.

11) Aheneae aetati bovis caedem Aratus tribuit in phaenom. vs 132 cf. vs. 112.

12) Antea Jovi quoque nil nisi terrae fructus oblatos esse testis est ipsa de bove molam comedente narratio.

13) Accedit, quod Diipolia Scirophorione celebrabantur, quo anni tempo e messe peracta usque ad finem auctumni bove non amplius opus est apud agricolas.

14) Similiter capram tum demum ab Icario (Bacchi sacerdote) caesam esse, quum vitem (Bacchi) totondisset, auctor est Porphyrius l. c. II, 10. p. 119 Rhoer. — Lobeck. Aglaoph. p. 677. — »ne bovem aratorem cupide libidinoseque interficere viderentur. Apparet enim, veteres, quum rem licitam quidem sed necessariam ma-

Puerilem huius festi simplicitatem et antiquitatem nemo non potest, ut statim agnoscat. Sed quum temporis decursu praesertim Athenienses a vita agraria magis magisque abalienati, naturae legibus obedire desuevissent, sponte patet, cur haec sacra quippe quae omnem altiorem sensum et cogitationem repudiarent [15]), Aristophanis aetate paene ridicula visa sint, pro rebus simplicissimis quidem sed vetustis et dudum antiquatis proverbii loco adhibita [16]).

CENTRIADAE.

Centriadarum gens in Buphoniis hereditarium muneris cuiusdam sacri consecuta erat honorem. Stimulatores dicti sunt a bove circum altaria stimulando, nomen (a κεντρίς, i. e. βουπλήξ derivandum) pelasgico more ab officio nacti. Testis est Porphyr. de abstin. II. §. 30. p. 158 Rhoer. *καὶ γένη τῶν ταῦτα δρώντων ἔστι νῦν . . . οἱ δ' ἀπὸ τοῦ περιελάσαντος Κεντριάδαι* [1]).

gis quam sibi iucundam facerent, varias ambages nexuisse, simul ludendi causa, et ad tempus traducendûm, *simul ut factum excusarent.«*

15) Ea enim, quae Creuzerus (l. c. IV. p. 125 sqq.) hisce sacris subesse dicit a simplicitate priscae Atticae aliena esse videntur. Sufficere puto priorem Creuzerianae disquisitionis partem, qua veterum traditiones concinnavit, et idoneam explicationem iam intexuit. p. 123 — 125.

16) Aristoph. Nub. vs. 985 cum schol.

1) De glossis Hesychii atque Photii s. v. *Κεντριάδαι* coniecturam tantum proponere possum. Scimus ex Clidemo apud Athenae. XIV. p. 660 a., Ceryces Athenis coquorum, carptorum et bovicidarum (*βουτύπων*) functos esse muneribus. Fortasse igitur veteres, quibus antiquitus iniunctum erat Bovicidium, familiae quum exstinctae essent, successit amplissima multasque familias complexa Cerycum gens, quae eiusmodi ministeriis imprimis valuit. Ita singula Butyporum, Centriadarum, Daetrorumque munera et nomina singulis Cerycum data esse coniicio familiis. Quo spectarent Photii verba: *Κεντριάδαι πατριὰ* (i. e. familia) *Κηρύκων*. In Hesychii glossa excidisse nonnulla videntur, quae sic suppleverim *Κεντριάδαι (πατριὰ Κηρύκων) τῶν περὶ τὰ μυστήρια*. Io. Meursius enim (in Gr. fer. s. v. *Διπόλια*) si Hesychium *Κεντριάδαι τῶν περὶ τὰ μυστήρια* scribentem nihil errasse putat, quoniam Buphoniis etiam mysteria peragi solita essent, docente Suida in *Βουφόνια*, — ea nihili sunt. Suidas (cuius fons est schol. ad Aristoph. Nub. 981) nihil aliud dicit nisi bovicidium *post* mysteria celebrari (*ἣν φασιν ἄγεσθαι μετὰ τὰ μυστήρια*). Neque hoc verum est, quandoquidem haec mensibus Boëdromione et Anthesterione acta sunt, a Scirophorione, quo Bovicidium celebrabatur per quartam anni partem distantibus. Vix dicatur necesse, Buphonia quoad indolem a mysteriis alienissima esse. Quid autem sibi voluit scholiastes ille? Eodem modo, ut dubii erant serioris aevi homines de Scirophoriis utrum Minervae an Cereri ducerentur; et quemadmodum Buzygem cum Triptolemo confundebant ac mysteriis immiscebant, ita Buphonia quoque quippe quae ad bovem spectarent, quem Triptolemus primus aratro iunxerat, seriore aetate ad sacra Cerealia relata esse videntur. Müllerus de Min. Pol. p. 16 not. 3 distinguit Buphonia in arce a cognomine sacro Eleusinio post mysteria facto. Sed scholiastes l. c. utrumque confudisse existimandus est.

DAETRI.

Daetrorum gens pelasgicae originis in celebrandis Buphoniis munere, quod nomen designat, hereditario functa. Postquam Bovicida fugam ceperat, Daetrus bovis mactandi, coenae parandae, et inter eos, qui aderant, distribuendae habebat munus. Id, quod e nomine iam satis elucet, a Porphyrio (de abstin. II, 29) affirmatur hisce verbis: *καὶ γένη τῶν ταῦτα* (v. Butypos not. 5.) *δρώντων ἐστὶ νῦν. οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ πατάξαντος Σωπάτρου Βουτύποι καλούμενοι πάντες. οἱ δ' ἀπὸ τοῦ περιελάσαντος Κεντριάδαι· τοὺς δ' ἀπὸ τοῦ ἀποσφάξαντος Δαιτροὺς ὀνομάζουσι, διὰ τὴν ἐκ τῆς κρεανομίας γενομένην δαῖτα.*

HESYCHIDAE.

Commemoravit hanc gentem Hesychius in lex. p. 1663 annotans: *Ἡσυχίδαι γένος Ἀθήνησιν ἰθαγενῶν.* Fusius de ea scholiastes egit ad Soph. OC. vs. 489 testibus adductis Polemone [1]) *ἐν τοῖς πρὸς Ἐρατοσθένην*, et Apollodoro [2]), qui in opere suo de dîs lib. XVII disseruerat *περὶ τοῦ τῶν Ἡσυχιδῶν γένους καὶ τῆς ἱερείας.*

Auctorem Hesychidarum generis heroem quendam perhibent a pio silentio [3]), quod in Eumenidum cultu observavit, Hesychum dictum. Sacellum tenuit haud procul a Cylonio extra novem portas (sive murum pelasgicum) situm [4]) ubi, quotiescunque Eumenidibus sacra fiebant, antea Hesycho aries mactabatur [5]). Posteris eius sacrorum et pomparum, quae Athenis in Eumenidum publice ducebantur et instituebantur honorem,

1) Polemonem studiosissime in Atticae antiquitates et sacra inquisivisse notum. Debentur ei pleraque quae de Hesychidis annotavi.

2) Apollodor. ed. Heyn. vol. I. p. 391.

3) De *εὐφημίᾳ* vid. Spanhem. ad Callim. in Apoll. vs. 18. et in Cer. vs. 17.

4) Meursius (Att. lectt. V. 32) pro *παρὰ τὸ Κυδώνιον* apud schol. l. c. corrigi voluit *παρὰ τὸ Κιμώνιον* scil. *τεῖχος*, provocans ad Paus. I, [28, 3]. Sed quum templum Eumenidum in Areopagi declivitate e regione arcis situm esset (Ersch. et Gruber. Encyclop. Art. et Lit. p. 230. col. I. Leakii topogr. Athenar. transl. german. p. 190), ibidem (i. e. inter arcem et Areopagi collem) etiam Hesychi sacellum stetisse verisimillimum. Cimonis vero murus non in ea arcis parte exstructus esse potuit, quae Martis colli ex adverso sita, i. e. in parte septentrionali sive caurina (inter Boream et occidentem), quoniam ibi Pelasgicus murus fuit. Cimonius meridionalem partem occupavit. Et Polemo Pelasgicum ipse designat dicens *ἐκτὸς τῶν ἐννέα πυλῶν.* Suidas enim s. v. *ἄπεδα* scribit: *καὶ ἠπέδιζον τὴν ἀκρόπολιν, περιέβαλλον δὲ ἐννεάπυλον τὸ Πελασγικόν.* Pro *Κυδώνιον* potius *Κυλώνιον* legendum est cum Müllero ad Leakii topogr. p. 455. Similiter apud Pausan. V, 5, 1. VI, 14, 11. ed. Bekk. codd. Cydonem pro Cylone exhibent; et idem error ap. Diogen. L. II, 46 obtinuit; ubi cf. Menag.

5) Polemo l. c.

summa demandata erat cura [6]). Quomodo vero de genealogia Hesychidarum statuendum sit, vix dubii esse possumus. Nimirum singuli gentiles a ritu sacrorum, quae iis propria erant, olim Hesychi (*ἥσυχοι*), i. e. Taciturni appellati, deinde ex ipso nomine heroem eponymum gentis praefecerunt sibi auctorem, et patronymica nominis adscita terminatione Hesychidae dicti sunt.

Hanc gentem antiquissimis Atticae familiis adnumerandam esse, praeter glossam, qua refertur inter *ἰθαγενεῖς*, etiam cultus, quem administrabat, summa docet vetustas. Pertinuerit igitur ad veteres Pelasgos, quos sub Ionum dominio in humiliorem et ignobilem redactos esse constat ordinem. Vel sic tamen mirari subit, etiam Hesychidas nobilitatem non adeptos esse. Nam plerasque gentes sacerdotales, licet pelasgicae essent originis, tamen propter ipsius, quo fungerentur, sacerdotii gloriam et splendorem etiam sub Ionibus inter Eupatridas relatas esse scimus; ut Buzyges, Eteobutadas, al. Sed de Hesychidis hoc non valere vix potest, quin e Polemonis colligatur verbis. Etenim »Eupatridum ordinem sacrorum, quae Eumenidibus fierent, non participem esse, sed Hesychidas iis pompam ducere« asseverat [7]). Attamen a Philone Judaeo (p. 886 B. ed. ann. 1691) docemur ad ministeria, quae in pompa *τῶν σεμνῶν* praestanda fuerint, nullos nisi liberos et vita integros admissos; item alia sacra officia spectatissimis tantum iuvenibus honoris et gloriae causa commissa esse.

C H A R I D A E.

Praeter Hesychii glossam, qua Cranai sacerdotem ex Charidis fuisse discimus [1]), nullum huius gentis reperi vestigium. E singulari tamen, quo regem et heroem pelasgici temporis prosecuti sunt, cultu, Charidas ipsos quoque pelasgicae fuisse originis recte concludas. An etiam stemma suum a Cranao repetierint, in medio relinquo.

6) Polemo l. c: *Τῆς δὲ πομπῆς ταύτης Ἡσυχίδαι, ὃ δὴ γένος ἐστὶ παρὰ τὰς σεμνὰς θεάς, καὶ τὴν ἡγεμονίας ἔχει.*

7) *Τὸ δὲ τῶν εὐπατριδῶν γένος οὐ μετέχει τῆς θυσίας ταύτης . . τῆς δὲ πομπῆς ταύτης Ἡσυχίδαι.* Cf. Wachsmuth. Antiq. Hellen. tom. IV. 304.

Callimachus (fragm. 123. Bentl.) sacerdotes Eumenidum feminas *λήτειρας Ἡσυχίδας* vocat. Quem locum respicit sine dubio Hesych.: *λήτειραι, ἱέρειαι τῶν σεμνῶν θεῶν.* (ap. Callimachum). In universum enim *λήτειραι* sunt sacerdotes publice lecti. Cf. eundem Hesych. in *λείτορες* et *λείτειραι*. et Passov. in lex. s. v.

1) *Χαρίδαι, γένος ἐξ οὗ ἱερεὺς τοῦ Κραναοῦ.* Cf. intpp. ad h. l. — Ineptissime Flor. Christianus hacce glossa abutitur ad explicandum Polycharidis nomen in Aristophanis Lysistr. vs. 1008. Nomen proprium *Chariades* saepius obvium,

POEMENIDAE.

E Poemenidis Cereris desumtum esse sacerdotem retulit Hesychius s. v. *Ποιμενίδαι* [1]), quem exscripsit Phavorinus p. 1530 ed. Basil. Aliud testimonium non exstare videtur. — Sed quum nomen a *ποιμὴν* descendens aperte pastorum familiam indicet, Poemenidas inter antiquissimas Atticae gentes habitos ionicam secundum divisionem tribui Aegicorensium iure assignaveris. Neque Cereris cultus a vita pastorali, quam olim certe Poemenidarum gens exercuit, alienus est. In quonam potissimum templo et festo sacerdotalia praestiterint officia, discerni nequit. Optio data est inter Eleusinia, et Cerealia proprie ita dicta, quorum mentionem fecit Pollux lib. I. cap. I. sect. 32. Hesych. v. *Μόρπτον*. Thesmophoriis enim mulieres tantum intererant.

EUMOLPIDAE.

Omnium, quibus Graeci munera sacerdotalia publice demandaverant, familiarum et gentium longe clarissima facileque princeps fuit Eumolpidarum gens. Quantum enim Eleusinia reliquae totius Graeciae praestabant sacris, tantum antistites eorum Eumolpidae reliquae totius Graeciae praestabant sacerdotibus [1]).

Heros, a quo scriptores unanimi consensu nomen et originem huius gentis deducunt, est Eumolpus, initiationis Eleusiniae celeberrimus ille inventor [2]). Discrepat autem inter scriptores ita, ut alii [3]) Eumolpum ex Thracia advenam, alii [4]) Musaei filium

1) *Ποιμενίδαι. γένος ἐξ οὗ ὁ τῆς Δήμητρος ἱερεύς.*

1) Hellanicus (ed. Sturz. fr. XVIII) *Περὶ τοῦ γένους τῶν ἱεροφαντῶν* egerat in Atthid. lib. II, teste Harpocratione s. v. *Ἱεροφάντης.*

2) Hesych. *Εὐμολπίδαι· οὕτως οἱ ἀπὸ Εὐμόλπου ἐκαλοῦντο τοῦ πρώτου ἱεροφαντήσαντος. πολλοὶ δὲ γεγόνασιν ὁμώνυμοι Εὔμολποι.* Harpocrat. s. v. *Ἱεροφάντης.* Clement. protr. vol. I. p. 17 Potter. Arnob. lib. V, p. 169 Lugd B. (174. Maire.): »Eumolpus a quo et gens effluit Eumolpidarum et ducitur clarum illud apud Cecropios nomen.«

3) Etymol. M. *Εὐμολπίδαι γένος Ἀθήνησιν ἀπὸ Εὐμόλπου τοῦ Θρᾳκός, ὃς καὶ τὴν μύησιν εὗρεν. ἢ ἀπὸ τοῦ Μουσαίου, ὃς ἦν ἀπὸ τοῦ α' πέμπτος.* Idem habet Suidas. Et Pausanias (I, 38, 2 sq. II, 14, 3.) nullum nisi Thracem commemoravit Eumolpum.

4) Ister (ed. Siebel. p. 55) ap. Tzetz. ad Lyc. vs 1328. *Εὔμολπος οὐχ ὁ Θρᾲξ κατὰ Ἴστρον ἐν τῇ συναγωγῇ, ἀλλ' ὁ θεὶς τὰ μυστήρια.* — Acesodorus, Ister (ed. Sieb. l. c.) et Androtio (ed. Sieb. p. 116) ap. schol. ad Soph. OC. vs. 1051 *ἀξιοῦσιν ἔνιοι πρῶτον Εὔμολπον ποιῆσαι τὸν Δηϊόπης τῆς Τριπτολέμου τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καὶ οὐ τὸν Θρᾷκα, καὶ τοῦτο ἱστορεῖν Ἴστρον ἐν τῷ περὶ τῶν ἀτάκτων. — Ἀκεσόδωρος δὲ πέμπτον ἀπὸ τοῦ πρώτου Εὐμόλπου εἶναι τὸν τὰς τελετὰς καταδείξαντα. — Ἀνδροτίων μὲν οὖν γράφει οὐ τὸν Εὔμολπον* (intell. Thracem) *εὑρεῖν τὴν μύησιν, ἀλλ' ἀπὸ τούτου Εὐμόλπου πέμπτον γεγονότα. Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα, τοῦ δὲ Εὔμολπον, τοῦ δὲ Μουσαῖον τὸν ποιητήν, τοῦ δὲ Εὔμολπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύησιν, καὶ ἱεροφάντην γεγονότα.* — Photius s. v. *Εὐμολπίδαι πατριὰ Ἀθήνησιν, ἀπὸ Εὐμόλπου. Ἐλέγοντο δὲ τρεῖς, ὁ μὲν ἐκ*

eumque diversum a Thrace, patrem Eumolpidarum fuisse contendant. Ex Androtione vero (ap. schol. ad Soph. OC. vs. 1051) Musaei filium atnepotem Eumolpi Thracis putatum esse colligitur [5]). Stemma enim sic procedit: Eumolpus I Thrax — Ceryx, a quo Ceryces descendunt — Eumolpus II — Antiphemus — Musaeus, ex quo et Deïope Triptolemi filia — Eumolpus III, initiationis inventor, a quo descendunt Eumolpidae. Priusquam huius diversitatis rationem et causas investigamus, de significatione nominis Eumolpi nonnulla adnotanda sunt. Verum enim si reputamus plurima sacerdotum nomina gentilicia proprie nihil aliud, nisi appellativa fuisse, quae munus designaverint, eodem modo nonne Eumolpum a praeclaro cantu (ab *εὖ μέλπεσθαι*) nomen invenisse verisimillimum est? [6]) Immigravit Eumolpus e Thracia, celeberrima poëtarum illius aevi patria. Nomina *Μουσαῖος* et *Ἀντίφημος* inter maiores huius gentis relata ad artem musicam spectare nemo non statim agnoscit. Fuerit igitur prisca gens cantorum, qui singuli olim *εὔμολποι* dicti, deinde graeco more — in Attica: ionico — patronymicam adsciverint sibi nominis formam. Eodem modo Butadae postea vocati sunt, qui olim *Βοῦται* fuerant. De patre gentis Eumolpiae eadem valent quae de Buta, de Buzyge, de Hesycho et de aliis supra iam statuimus; nisi quod Eumolpi persona fabularum in quibus ei primae haud raro tribuebantur partes, praestantiâ et copiâ clarius et accuratius circumscripta primariam nominis significationem plane exuisse videtur. Haec gens antiquissimis temporibus Eleusine consedit, ubi in sacris celebrandis artis hereditariae praestabat usum. Qua de causa poëta qui hymnum in Cererem scripsit, inter sex Elensiniorum principes Eumolpum quoque refert; ita tamen ut primas partes ei neutiquam tribuat. Quo in hymno quum poëtam suum respexisse tempus, et eorum quae ipsius aevo in Eleusiniis agerentur et narrarentur, e fabulis rationem reddere voluisse vix in dubium vocari possit, simul apparet, ne tunc quidem temporis Eumolpidas munere summo in Eleusiniis functos esse; quod postea demum exstincta fortasse ceterorum Eleusinis principum stirpe, [7]) eos assecutos esse colliges. Ea demum aetate, qua Eumolpidae primum et Ceryces secundum in Eleusiniis obtinuere locum, initiationis inventum Eumolpo tribuebatur, gentis, in qua nunc hierophantae munus hereditarium erat, auctori [8]). Eodem tempore stemma fictum est, cuius primum Eumolpus et secundum Ceryx obtinet locum. Atticorum studio claros ad-

Θρᾴκης ἐπιστρατεύσας, ὃν οὐ προσποιοῦνται οἱ Εὐμολπίδαι· ὁ δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀστυκόμης· ὁ δὲ Μουσαίου καὶ Δηιόπης. — Schol. ad Aeschin contra Ctesiph. p. 765. vol. III R. *Εὐμολπίδας· Εὐμόλπου ἀπογόνους. ἐγένετο δὲ Εὔμολπος Μουσαίου υἱὸς ἢ μαθητὴς τοῦ τὰ μυστήρια εὑρηκότος.*

5) Cf. Androtio not. 4. cit.

6) Cf. Müller. in prolegom. mytholog. p. 251. Infra videbimus, etiam seriore aetate provisum esse, ut hierophanta claram et sonoram ederet vocem. Cf. etiam Hesych. et Suid. s. v. *Εὐμολπία, ἡ εὐφωνία, ἡ εὐυμνία.* Phavorin. *Εὐμολπία ἡ εὐφωνία, καλὸς ὕμνος.* Hymn in Mercur. vs. 478 *εὐμόλπει* (vulgatae).

7) Ita Müller. l. c.

8) Antiquiorem igitur existimo famam fuisse, quam a Phliasiis acceperit Pausanias II, 14. Dysaulem enim *Celei*, qui in hymno homerico primas partes obtinet, fratrem Eleusine ad ipsos venientem initia Cereris docuisse vicoque Celeis nomen dedisse, narrabant. Contra Pheneatae Naum quendam ex *Eumolpi* posteris apud sese mysteria Eleusinia instituisse dicebant, teste eodem Pausan. VIII, 15. 1. — Eos qui post Diodori demum

venas, quantum fieri poterat, indigenas scribendi tribuerim ea, quae Pausanias (I, 38, 2) et Apollodorus (III, 15, 4) de matre Eumolpi tradidere, Chionam Boreae et Orithyiae filiam (Erechthei neptem)[9]) peperisse eum affirmantes[10]). Arcta vero cum Neptuno, qui pater eius nominatur necessitas, utrum ab initio iam intercesserit Eumolpo, an tragicis et Atthidum debeatur auctoribus, qui bellum eius cum Atheniensibus Minervae cultum prosecutis scribentes vel canentes, Atticae hostem a Neptuni (adversarii Minervae) partibus stantem finxerint[11]), in medio relinquo[12]). — Veram nominis Eumolpi rationem et significationem si comparatis aliis plane analogis perspectam satis habemus, non mirabimur, plures numerari Eumolpos. Eum, qui Herculem in mysteria initiaverit, seriorem esse Thrace Eumolpo recte iam ab Heynio (ad Apollodor. p. 338) observatum est. Alius quoque Eumolpus fuit, quocum Menestheus Thesei filius conflixit; Alcidam. or. Ulyss. c. Palamed. vol. VIII. p. 75 R. Ordinem chronologicum vero eumque certum constituere non licet, namque omnes omni aetate qui fuerunt hierophantae secundum eam quam in Butadis exposuimus dicendi rationem *Εὔμολποι* appellari potuerunt[13]). Frustra denique quaesiverit aliquis, utrum prior Eumolpus an eius atnepos meliore iure initiationem invenisse dicatur; quoniam nobis nonnisi serioris aevi figmenta poëtica, nentiquam vero traditionem veterem proditam esse nimia fluctuatio famaeque diversitas satis testatur. Idem de varietate valet quae in exhibendo stemmate ipso comparet; ubi sufficiat ad Pausaniam provocasse lib. I. cap. 38, 7 ita scribentem *Ἐλευσίνιοι γὰρ ἀρχαῖοι (τῶν λόγων) ἅτε οὐ προσόντων σφίσι γενεαλόγων, ἄλλα τε πλάσασθαι δεδώκασι (καὶ) μάλιστα ἐς τὰ γένη τῶν ἡρώων.*

tempora Eleusiniorum institutionem Eumolpo adscriptam esse contenderunt, refutavit Lobeckius in Aglaoph. p. 239 sqq.

9) Cur hanc potissimum Eumolpo tribuerint avam, facile possumus intelligere. Venerat enim Eumolpus e *Thracia*, quo Boreas olim Orithyiam virginem *Atheniensem* abduxerat.

10) Simul apparet hoc stemma non ante Solonis tempus compositum esse, quoniam tunc demum Eleusis, olim sui iuris oppidum (cf. Müller l. c.) cum agro Attico coniunctum, eiusque sacra omnino Atheniensium publica facta sunt. Id quod demonstrasse Lobeckii meritum est, Aglaoph. p. 214 sqq. Tunc demum etiam accidisse mihi videtur, ut Minerva, Neptunus et alia perantiqua Atticae numina indolem suam avalem plane exuerent et agriculturae tutelam magis magisque decedendo Cereri traderent, priscis Atticis ignotae. Cf. sup. Butadae.

11) Socii Eumolpi in hoc bello (Vict. ad Homer. Il. XVIII, 490 II.) ad unum omnes heroes Neptunii sunt: Clytius Agriopi f., Cyclopis nepos, ergo Neptuni abnepos; Phorbas, quem Hellanicus (fr. XIV ed. Sturz.) ap. Harpocrat. s. v. *Φορβάντειον* Neptuni perhibet filium; Egremus, Eurynumi f., quod utrumque nomen ad Neptunum ipsum pertinere videtur.

12) Apollodori traditionem l. c. ex Euripidis Erechtheo haustam esse, ubi Neptunum in prologo versum *Αἰθιοπίαν νιν ἐξέσωσ' ἐπὶ χθόνα* (fr. XIV) recitasse scimus, acute annotatum est a Lobeckio l. c. p. 215 sq. Videtur haec fabula quoad consilium et indolem cum eiusdem poëtae Ione comparanda esse; verique haud dissimile, huic potissimum Erechtheo deberi narrationem, qua Eumolpi Thracis exponatur origo, et heros Atticae vindicetur.

13) Hesych. s. v. *Εὐμολπίδαι* not. 1 Plutarch de exil. p. 607. inf. laud. — Quodsi alii Eumolpum Thracem Erechthei dicunt aequalem, alii pronepotem, hoc ipsum planissimum est argumentum duas diversae aetatis et fabricae hic haberi fabulas. Ingentem famae de Erechtheo rege varietatem vide ap. Meursium in regno Att., et inprimis apud Lobeckium in Aglaoph. epim. I. ad lib. I.

Hisce praemonitis stemma gentis mythicum e Pausania et Androtione concinnatum addam.

Erechtheus
|
Orithyia
ex qua et Borea
|
Chione
ex qua et Neptuno
|
Eumolpus I Thrax
ex quo et Deira (nympha Cerrali)
Immaradus — Ceryx [14])
|
Eumolpus II
|
Antiphemus
|
Musaeus [15])
ex quo et Deiopa (Triptolemi f.)
Eumolpus III
a quo descendunt Eumolpidae.

Munera gentis Eumolpiae sacra.

Inde a Solonis aetate usque ad extrema Graeciae tempora unum ex hac gente gravitate et annis conspicuum *hierophantae* munere functum esse constat [16]). Hierophanta summus Eleusiniorum sacerdos et sacrorum princeps, ipse mystas initiabat, conditoris

14) De Ceryce cf. disputat. de Ceryeum gente.

15) De Musaeo lectorem ad Passovii prolegom. edit. Musaei p. 5 sqq relegn. — Unum annotabo: alterum stemma Musaei (quod retulit Suid. in v. *Μουσαῖος* et Eudocia p. 303) plane consentit cum nostro supra adscripto, si nominum respicis significatum. Loco Eumolpi I singulari quodam consilio ponitur Cercyo, alius Neptuni filius, (de quo cf. Sturz. ad Hellanic. XVII. et Lobeck. l. c. p. 212 not. 1). Pro Ceryce (i. e. praecone) — Ecphantus (i. e. Elocutor) pro Eumolpo — Euphemus; in reliquis congruunt.

16) Harpocrat. s. v. *Ἱεροφάντης. Δείναρχος ἐν τῇ Κροκωνιδῶν διαδικασίᾳ ὀνομάσθαι φησὶ τὸν πρῶτον ἱεροφάντην τὸν ἀποφήναντα ἐκ τοῦ Εὐμόλπου ἐπιόντα τὰ ἱερά. περὶ δὲ τοῦ γένους τῶν ἱεροφαντῶν δεδήλωκεν Ἑλλάνικος ἐν δευτέρᾳ Ἀτθίδος.* Aristid. or. Eleusin. p. 257. *Εὐμολπίδαι δὲ .... εἰς Ποσειδῶ .... ἀναφέροντες ἱεροφάντας .... παρείχοντο.* Arnob. adv. gent. l. c. Hesych. l. c. Clement. protr. l. c. Eunap. in vit. Max. p. 52. Tacit. hist. IV extr. De hierophantis egerunt Meurs. in Eleusin. cap. II. Creuzer. Symbol. et Mythol. IV. p. 355. Scto-crucius de mysteriis vol. I. p. 218 — 224. Sed cf. Lobeck. Aglaopham. lib. I. De fatis Eleusiniorum infima aetate v. Corsin. F. Att. vol. IV p 195 sqq. Wyttenbach. ad Eunap. Maxim. p. 52.

initiorum agens partes et quasi repraesentans personam; quod Plutarchus (de exil. p. 607 vol. VIII. p. 395 R.) hisce enuntiavit verbis: *Εὔμολπος ἐκ Θράκης μεταστὰς ὃς ἐμύησε καὶ μυεῖ τοὺς Ἕλληνας.* Titulus quoque Corp. inscr. n. 401 initiatos designat »mystas Eumolpi.« Studiosissimus paganae quam dicunt religionis assecla, qui exeunte quarto et ineunte quinto p. Chr. vixit saeculo, Eunapius Platonicus in Eleusiniis sese initiatum esse affirmans nomen hierophantae ex Eumolpidis oriundi silet. Etenim hoc a se prodi nefas fore ait [17]). Hunc morem ab initiatis tantum iisque religiosioribus observatum esse testatur Theodorus apud Diogenem Laert. I, 101 hierophantam Euryclidem proprio appellans nomine; nisi omnino seriore demum institutum illud invaluit aevo [18]). Verumtamen in titulis nusquam hierophantae nomen comparet, nisi vita defuncti, (Corp. inscr. n. 384 in. et 405) quin pluries videre licet, quomodo de industria silentio pressum sit. Vide n. 401, (cf. 434.) 385 extr. (cf. 384 in.). De coelibatu, ad quem hierophantae sive per totam vitam sive inde a consecratione coacti sint, quam maxime dubitamus [19]); nam talis mos a religionibus graecis alienissimus esse videtur. Quaecunque hac de re [20]) traduntur ad castitatem illam referas, quae cum in plurimis Graecorum sacris, tum in Cerealibus non solum a sacerdotibus, sed etiam a privatis rite observabatur. Cui sanctitati quidem ut auxilium ferretur ad sacerdotia perpetua tales eligebantur et viri et feminae, quibus quum provectiores essent annis pro senectute a Venere abstinendum erat [21]). Et hierophantam provectae iam aetatis vel senem fuisse compertum habemus [22]). Eidem sacerdoti clara et sonora voce opus fuisse legimus [23]); aut ad praecinenda cantica, quae est Scto-crucii sententia (l. c. p. 224) aut quia coram populi multitudine in templum ipsum immissa (quod aliis in sacris non fiebat) hierophantis perorandum et preces fundendae erant. — Deinde *unum quatuorvirum, quibus cum archonte rege cura mysteriorum quotannis demandabatur* ex Eumolpidarum gente a populo legendum fuisse constat [24]). Alter *ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων* e Cerycibus, duo reliqui ex universo populo legi poterant. — Tertium munus Eumolpidis cum aliis nonnullis gentibus commune fuit, nimirum *respondendi de iure sacro* [25]). Pericles teste Lysia in

17) Eunap. Max. p. 52: *τοῦ δὲ ἱεροφάντου κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ὅστις ἦν τοὔνομα, οὔ μοι θέμις λέγειν. ἐτέλει γὰρ τὸν ταῦτα γράφοντα, καὶ εἰς Εὐμολπίδας ἦγε.* ad quem l. Boissonnad. conferri vult Vales. Em. III, 15, (ubi Lucian. Lexiphanes c. 10 adducitur) et Villoisonium in Mém. de l'Ac. des B. L. t. 47. p. 338.

18) Ita Lobeck. Aglaoph. p. 62 b.

19) Cf. Silvestr. de Sacy ad Scto-crucium l. c. p. 222. (Pausan. II, 14, 1), nec non Scto-crucium ipsum. Sed vid. etiam Lobeck. l. c. lib. I. §. 24.

20) Collegit ea Scto-crucius l. c. Cf. imprimis Arrhian. Epictet. lib. III. cap. 21. Serv. ad Aen. VI, 661. Schol. ad Persii sat. V, 145. Hieronym. adv. Jovinian. I, 9. etc.

21) In aliis sacris ad ministeria quaedam pueros impuberes postulatos esse constat; sed de vero sacerdotum graecorum coelibatu nullum vidi vestigium. De corruptela cultuum quae tempore christiano ingruit, item de religionibus peregrinis hic non sermo.

22) Eunapii Maxim. p. 52. Philostrat. vit. soph. lib. II. cap. 20. p. 600 Olear. Arrhian. l. c.

23) Philostrat. et Arrhian. ll cc.

24) Harpocrat. s. v. *Ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων.* Secundum Aristotelem in Atheniensium rep.: *τέσσαρες δὲ ἦσαν· δύο μὲν ἐξ Ἀθηναίων ἁπάντων, εἷς δὲ ἐξ Εὐμολπιδῶν· καὶ εἷς ἐκ Κηρύκων.* ubi cf. Vales. Idem tradit Etymologus M. s. h. v. Cf. Pollux. VIII, 8. sect. 3.

25) Cf. Wachsmuth. Antiquitat. Hellenic. vol I. p. 204. III, 306. Cicero ad Attic. (I, 9.) Eumolpidarum

orat. adv. Andocid. p. 204 R. de scelere impietatis non solum perscriptas, sed etiam eas, quae literis non mandatae sint, respici iusserat leges; quarum interpretationem Eumolpidae calleant, et quas nemo reiicere vel refutare ausus, quarum ne legislator notus sit. Pertinuerint hae leges ad antiquissima et simplicissima illa, quae Triptolemo et Buzygi tribuebantur, instituta. Sed imprimis haec Eumolpidarum iurisdictio sacra Eleusinia et impie contra ea commissa spectavisse videtur [26]. Quibuscum arctissime cohaeret quartum quod huic genti iniunctum erat *sceleratos capitisque damnatos devovendi, iisque solennes diras imprecandi* munus [27]. Iidem sceleratos resacrabant et devotiones expiabant, quoties damnati in populi gratiam redierant [28].

Eumolpidarum nomina perpauca tantum a scriptoribus et in monumentis prodita sunt — I. *Diocles Zacori* hierophantae filius commemoratur a nepote suo, qui Lysiae orationem contra Andocidem recitavit [29]) §. 54 B. (vol. V. p. 256 R.) Qua quum oratione (utpote δευτερολογίᾳ) *cognatorum* unus accusatori primario succurrisse probabile sit, hunc quoque, *Cephisium* dico, ex Eumolpidis fuisse suspicor. Etenim duae potissimum Eleusiniorum familiae hanc litem egisse videntur: ab altera parte domus Andocidis ex Cerycum gente stetit, ab altera Cephisius ex Eumolpidis coniunctus cum Calliae domo, quae quidem e Cerycibus fuit. — II. Deinde innotuit *Theodorus* [30]) hierophanta, qui diras, quas Alcibiadi imprecatus erat, postea expiare iussus, muneris dignitatem haud inepte dicto bene servavit, Plutarch. Alcib. 53. — III. Tum memoratur *Archias* hierophanta quem, in sacris faciendis quum leges violasset, neque merita tum maiorum, tum ipsius, neque originem ex clarissima Eumolpidarum gente, neque preces cognatorum et affinium aliquid iuvisse, sed nihilominus in iudicio damnatum et multatum esse tradit orator in Neaeram p. 1384 sq. R. — IV. E Diogene Laert. 1, 101 *Euryclidem* novimus hierophantam, Theodori τοῦ ἀθέου, et Demetrii Phalerensis aequalem. — V. Complura Eumolpidarum nomina desumi possunt ex affinitate Lycurgi Lycophronisque domus (vide Butadas), ubi *Lysander* quidam comparet, Philippen heredem filiam ex illa domo in matrimonium ducens, unde nascitur

πάτρια sibi mitti iubet. Plutarch. Alcib 22. Lobeck. l. c. p. 293.

26) Demosth. adv. Androtion. p. 601 R. Meier. et Schömann. de lite Att. p. 117 sq. Platneri Lis et causae Atticor. II. p. 147 sqq.

27) Alcibiadem ab Eumolpidis et Cerycibus devotum esse legimus apud Plutarch. vit. Alcib. 22. Nepot. Alcib. 4. Fragmentum incerti auctoris quod servavit Maxim. Tyr. diss. XII, 6. et Suidas in Εὐμολπίδαι· Ἐπηρήσαντο δὲ αὐτῷ Εὐμολπίδαι καὶ Κήρυκες, item aliud apud Suidam eod. l. Εἶτα μέντοι παρ' οὐδὲν θέμενος τὰ σεμνὰ Εὐμολπιδῶν καὶ Κηρύκων καὶ τῶν ἄλλων γενῶν ἱερῶν τε ὄντων καὶ θεοφιλῶν ἐπίρρητον δὲ καὶ θῆλυν σοφίαν προελόμενος, ad eundem Alcibiadem pertinere videntur.

28) Plutarch. Alcib. 33. Nep. Alcib. 6 fin.

29) Vixerit igitur Zacorus ex aetatum computatione circa belli persici primi tempus.

30) A quo alienissimus est Theodorus Erchiensis, pater Isocratis (cf. Photii bibl. cod. 260. p. 486, 13 B) apud Pseudoplut. vitt. X orr. vol. IX. p. 326 R.

Medeus ὁ ἐξηγητὴς Εὐμολπιδῶν. Medeus e Timothea Glauci filia suscepit *Laodamiam* et *Medeum*. Ex eadem haud dubie gente fuisse *Flaviam Laodamiam*, sacerdotem Eleusine annuam (Corp. inscr. num. 386), concludit Boeckhius e nomine et sacerdotio. Flavia autem quum non ante Vespasianum nominata sit, inde colligas aetatem eius. Sed de his v. Butadarum stemma, quos tamen caveas inde a Lysandro Eumolpidas esse dicas. — VI. Sophocli Lycomidae nupsit *Ctesiclea Apollonii* filia (v. stemmata Lycomidarum) ex Eumolpidis. Eiusdem familiae sunt qui in Corp. inscr. n. 392 memorantur et quorum sic procedit stemma:

Agenor
|
Apollonius (ἐξηγητὴς ἐξ Εὐμ.)
et quo et Apollonia
Agenor. (Ctesiclea ?)

VII. Ptolemaei Lagidae tempore »*Timotheum* Atheniensem ex gente Eumolpidarum ut antistitem caerimoniarum Eleusine« commemorat Tacitus in histor. lib. IV extr., a quo Claudiam Timotheam descendisse putat Boeckhius ad Corp. inscr. n. 393, de qua vide inf. num. VIII. Cononem et Timotheum claros Atheniensium duces ex Eumolpidis fuisse verisimillima eiusdem viri docti l. c. est coniectura. — VIII. Ex fragmento genealogiae, quod exhibet Corp. inscr. num. 384 hanc stirpem cognovimus:

Hierophanta Gargettius
(antea Firmius)
|
. . . . . Firmius
|
Musonius.

Ex eadem familia fuisse *Timotheum Gargettium*, patrem sacerdotis *Claudiae Timotheae* (n. 393. 435) et *Menandrum Gargettium* (n. 439, unde filiam eius *Claudiam Tatarium* etiam sacerdotem fuisse nota,) coniecit Boeckhius ad n. 384. — IX. In titulis n. 399 et 400 *Secundus Atticus* quidam comparet Sphettius ex Eumolpidis, qui post Commodum vixit. Eidem familiae *Secundum sophistam*, quem ad Eleusinem sepultum esse scribit Philostrat. in vitt. soph. I fin., recte assignavit Boeckh. l. c. — X. *Erotius* hierophanta Cereris et Proserpinae Atheniensis, cui statuam posuit *Cleadas* filius, ipse quoque munus hierophanticum assecutus apud Lernaeos. Corp. inscr. n. 405. — XI. Eumolpidis adnumerare non dubitabis *Abascantum Eumolpi* filium, de quo cf. Corp. inscr. p. 375, s. f. — XII. In catalogis aïsitorum sub Antoninis hierophanta ut plurimum est *Julius*, in tit. 191 *Flavius*, in decreto post Septim. Severum *Claudius*; annotante Boeckh. ad n. 190.

PHILLIDAE.

E Phillidarum gente Cereris et Proserpinae sacerdotem feminam fuisse, quae mystas Eleusine initiaverit, affirmant Suidas et Photius s. v. *Φιλλεῖδαι* [1]). Dubitari non potest, hanc sacerdotem summo et honorificentissimo hierophantriae munere functam esse, de quo Photius annotat: *Ἱεροφαντίδες αἱ τὰ ἱερὰ φαίνουσαι τοῖς μυουμένοις.* Quemadmodum hierophanta ex Eumolpidarum gente viris, ita hierophantria e Phillidarum gente feminis Eleusine sacerdotibus praefecta fuisse videtur, e. c. Melissis, Prophantriis, Thysiadibus [2]). At cave in animum tibi inducas, ab hierophantria feminas tantum, ab hierophanta viros initiatos esse. Obstant enim tum Photius et Suidas l. c., tum Corp. inscr. tit. n. 434. In Cereris cultu ante omnia provisum esse, ut sacerdotes vita puri atque integri essent, iisque sane eo quo munere fungerentur tempore caste vivendum fuisse, satis notum est [3]). Sed quaestionem et dubitationem, an hierophantriae ad *viduam* traducendam coactae fuerint vitam, obmovit idem atque excussit Scto-crucius l. c. p. 247 sq. [4]). Nomen huius feminae (sicuti omnium in sacris Eleusiniis ministrorum, Lucian. Lexiphan. 10) inde a consecratione pio silentio transeundum fuisse [5]), perspicue docet Corp. inscr. titulus n. 434, in quo Demetrii filia, Marciani mater, Cereris hierophantria Hadrianum a sese initiatum esse gloriatur [6]). Alia, abolito pristino nomine, nude *Ἱερόφαντις* dicta (eodem modo, quo *Ἱεροφάντης* antea Firmius n. 384 et *Ἱεροφ.* n. 385 fin.) Amphii Philaïdae filia comparet in tit. n. 432.

Annum ab Eleusiniis hierophantriae nomine designatum esse, (Creuzer. Symbol. et Mythol. l. c.) iam propterea veri dissimillimum est, quod proprium illius nomen pio silentio tegendum et profanari nefas erat. Quam legem etiamsi non ab omnibus, tamen a religiosioribus et praesertim in decretis publicis observatam esse concedes. Vel sic tamen si quatuor vel quinque Eleusine exstant tituli, quibus nomen sacerdotis additum, ut *ἐπὶ ἱερείας Τειμοθέας τῆς Τειμοθέου Γαργηττίου θυγατρός*: (n. 393 et 435), *ἐπὶ ἱερείας Φλαουΐας Λαοδαμείας τῆς Κλείδου Φλυέως θυγατρός*: (n. 386 et 386 b) *ἐπὶ ἱερείας . . . . . (τῆς) Ἐπιγόνου.* (n. 447) — in his de hierophantria e Phillidis non cogitandum [7]), sed ubique aliam sacerdotem intelligendam esse puto, quae per totum annum Eleusine quotidianum dearum administraverit cultum. Sed multo magis huius feminae nomine Eleusinios annum designasse cave tibi persuadeat alienissima

1) *Φιλλεῖδαι γένος ἐστιν Ἀθήνησιν. ἐκ δὲ τούτων ἡ ἐν Ἐλ. τῆς Δήμητρος καὶ Κόρης, ἡ μυοῦσα τοὺς μύστας ἱερωμένη.* Elym. M. *ΦΙΛΛΕΙΔΑΙ, γένος Ἀθήνησι.* scrib. *ΦΙΛΛ.*

2) Scto-cruc. de myst. tom. I. p. 241 sqq. Creuzer. Symbol. IV. p. 486 sq. — In Eleusiniis hierophantidum appellationem etiam de tota sacerdotum feminarum classe in usu fuisse tum ex Photii glossa, quam in textu adscripsimus, tum ex Istri verbis (ed. Sieb. p. 57) apud schol. ad Soph. OC. vs. 683 cognoscere licet.

3) De sacerdotibus Cereris praesertim feminis cf. Spanhem. ad Callim. in Cer. vss. 5. 43. in Pall. 34.

4) Provocat ad Callim. epigr. 42. et Pausan. Eliac. II, 20.

5) Cf. ad Eumolpidas not. 17.

6) Cf. Müller. de Min. Pol. p. 12. not. 4.

7) Utraque, cuius nomina servata sunt, ex Eumolpidis fuisse videtur, quos cf.

cum sacerdotibus Junonis Argivae comparatio. Illa nomina nonnisi privatis adscripta sunt monumentis, iisque prope ipsum Cereris templum dicatis et collocatis; quae quum a sacerdotibus vel recipienda vel consecranda essent, propterea nomina eius adiecta sunt. Eundem quoque in aliis, et sacerdotum et magistratuum adscribendis nominibus observare licet morem. Vid. Corp. inscr. n. 426, de sacerdote Minervae Poliadis n. 478, de sacerd. Nemesis n. 462, Themidis n. 461. Sed nota, semper talem esse debere magistratum vel sacerdotem, qui per totum annum munere fungatur. Hierophantarum, daduchorum, hierocerycum nominibus nemo in eam rem uti potuit.

Singulas, quae innotuerint, hierophantrias duas iam supra attuli. E Phillidis, puto, etiam Theano fuit Menonis filia *Ἀγραυλῆθεν*, quae quum a populo una cum ceteris sacerdotibus Alcibiadem devovere iussa esset, fortiter hoc recusavit, sese benedicendi non maledicendi causa sacerdotem esse contendens [8]). Hierophantis novae Cereris (Sabinae Hadriani) *Cl. Philoxena*, quae in Corp. inscr. tit. n. 435 honoratur, cum Lycomidis s. daduchis cognata, Phillidas an attigerit, nescimus.

De Phillidarum auctore nihil memoriae proditum est. Scto-crucius l. c. a Celei filiabus eos descendisse coniecit [9]).

CERYCES [1]).

Ceryces, quorum gentem Athenis floruisse multis veterum scriptorum confirmatur testimoniis [2]), auctore Pausania I, 38, 3 ipsi originem suam a Ceryce quodam Aglauri

8) Plutarch. Alcib. 22. Quaest. Rom. vol. VII. p. 114 R. — Cf. Lys. adv. Andoc. §. 52 B. (p. 252 R.) *καὶ ἐπὶ τούτοις ἱερεῖαι καὶ ἱερεῖς στάντες κατηράσαντο πρὸς ἑσπέραν.* ubi Taylor., Markl., Reisk., Bekker. scribunt *ἱέρεια*, Sylvester de Sacy ad Scto-cruc. I. p. 245 *ἱέρεια*, hierophantidem intelligens. Sed quum articulus abesset, priorem emendationem praefero.

9) Inter maiores huius gentis comparuit forlasse Antiopa illa sive Deïopa (v. Bremius in Symbolis philolog. Helvetorum p. 248) Musaeo amata, quem amorem Hermesianax cecinit in elegis vs. 15 — 20· »Neque Musaeus sine munere esso voluit Antiopam,

ἥτε πολυμνήστησιν Ἐλευσῖνος παρὰ πέζαν
εὐασμὸν κρυφίων ἐξεφόρει λογίων,
Ῥάριον ὀργίων ἀνέμῳ διαποιπνύουσα
Δημήτρα· γνωστὴ δ' ἐστὶ καὶ εἰν Ἀΐδῃ.

i. e. »quae in honorem dearum ad litus Eleusinium multum decantatarum clamorem efferebat reconditorum sacrorum, Rarium (scil. campum) sacerdos (als Priesterin) vento similis pervagans et ministrans Cereri.«

1) De Cerycum gente librum singularem exstitisse *Theodori Sacrosancti* discimus e Photii lex. et Etymolog. M. s. v. *Ἡμεροκαλλής*. Scriptionis *Zeibichianae* de Cerycibus mysticis, Vitebergae 1752 editae, copiam parare mihi non potui. — Quatuor Ceryeum fuisse gentes ex hisce Pollucis (VIII, 9, 103) concludere solent verbis: *Κῆρυξ ὁ μέν τις τῶν μυστικῶν ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Πανδρόσου τοῦ Κέκροπος ὁ δὲ περὶ τοὺς ἀγῶνας. οἱ δὲ περὶ τὰς πομπάς, ἐκ τοῦ Εὐνειδῶν γένους. οἱ δὲ κατ' ἀγορὰν τὰ ὤνια προσκηρύττοντες.* Licet haec negotia in singulis familiis omnia hereditaria fuisse verisimillimum sit, (de Eunidis hoc certum est) tamen unum tantum Ceryeum mysticorum genus a munere nomen gentilicium traxit. Hoc loco de Cerycibus sacris s. mysticis agimus, qui semper intelligendi sunt apud veteres, ubi de Cerycum *gente* sermo est. Nonnunquam munus adiectum esse videbis, ut in monumentis publicis honoris causa, et ubi error praecavendus est, ut apud Xenoph. in hist gr. II, 4, 20.

2) Aeschin. in Ctesiph. p. 406 vol. III R. *κατὰ γένη, Εὐμολπίδας καὶ Κήρυκας,* ubi cf. Taylor. — Har-

Cecrope natae Mercuriique filio repetierunt [3]). Paulo diversa prodidit Pollux lib. VIII, 9, 103, et Ptolemaeus apud schol. ad Iliad. I, 334, uterque pro Aglauro (sororem eius) Pandroson substituentes [4]). Mirari licet originem Cerycum e remotissimo Atticae ipsius tempore pelasgico repeti, cum tamen munus eorum ad sacra Eleusinia pertineret Solonis demum aetate in urbem recepta. Alterum enim stemma, quo Ceryx Eumolpi Thracis filius comparet [5]), posterioris aetatis figmentum a Cerycibus ipsis non agnitum est. Cui genealogiae quid ansam dederit, iam supra quum de Eumolpidis disputarem, demonstrare studui. Ceryces igitur vetustissimam Atticae Aboriginum gentem fuisse existimo, quae postea demum, quum Eleusinia publica civitatis Atheniensium facta essent sacra, hereditarium praeconis mystici munus assecuta sit. Tum demum Ceryx Eumolpidarum inseri potuit maioribus. Ad confirmandam hanc opinionem valet etiam Hesychii testimonium »Ceryces gentem *ἰθαγενῶν* fuisse«; quam gloriam Eumolpidae licet in Atticam recepti ad Cecropem usque stirpem suam adscendere iactarent, nunquam assecuti esse videntur [6]). Olim Ceryces sine dubio fuerunt id quod nomen designat — praecones [7]) iique nihil diversi a publicis aevi serioris praeconibus, qui in comitiis, in senatu, theatris, venditionibus al. servile obibant ministerium, sed heroica aetate maiore habebantur honore. Tales igitur Ceryces mystici quoque fuerunt donec perpetuo in Eleusiniis impetrato munere nobilitatem simul et honorem invenere.

Sacerdotium honorificentissimum, quo Ceryces ad extrema usque Graeciae tempora functi sunt, est praeconium sacrum in Eleusiniis obeundum [8]). Legebatur enim ex hac gente hieroceryx, quo nomine in titulis haud raro comparet; idem a Xeno-

pocrat. *Κήρυκες, Ἰσοκράτης Πανηγυρικῷ* (§. 157 Bekk.) *γένος ἐστιν ἐν Ἀθήναις οὕτως ὀνομαζόμενον ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ἑρμοῦ.* Eadem habent Suid. et Etym. M. s. v. — Photius *Κηρυκίδης γένος Ἀθήνησιν*, quam glossam in uno cod. ab altera manu scriptam, in alio omissam esse annotat Hermann. scribas *Κήρυκες*. Id. s. v. *Ἡμεροκαλλές*, i. e. lana purpurea qua Athenienses in sacris utuntur, *ὡς Θεόδωρος ὁ Παναγὴς προσαγορευόμενος ἐν τῷ ᾱ περὶ τοῦ Κηρύκων γένους. κτλ.* Eadem habet Etym. M.

3) *Κῆρυξ — ὃν αὐτοὶ Κήρυκες θυγατρὸς Κέκροπος Ἀγλαύρου καὶ Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν, ἀλλ' οὐκ Εὐμόλπου.*

4) Quod praeferrem, nisi maior Pausaniae obstaret fides. Philochorus enim (p. 18 Sieb.) et Hellanicus (fr. XVI. Sturz.) Agraulon sive Aglauron Marti nupsisse tradiderant: Stephan. Byz. et Suidas s. v. *Ἄρειος πάγος.* et Apollodor. III, 14, 2 cum Heynii nota.

5) Cf. de Eumolpidis in.

6) Contrarium igitur Ceryci, atque aliis heroibus accidit. Nam claris peregrinis, qui in Atticam immigraverant, Attica affingitur origo: Ceryces indigenae et aborigines cum extraneis coniunguntur heroibus. Quare cum in illis extranea origo vera, Attica vero ficta iudicanda est, contrario modo de Cerycibus statuendum. Aliter Creuzerus in Symbol. IV. p. 356 connexum cum Eumolpidis priorem et verum, alterum cum Atticae regibus seriorem et a Cerycibus ipsis arrogatum esse existimat: »Hiermit knüpften sie sich also von den wilden Thraciern los, und an die gebildeten Aegyptier an.«

7) Qua de causa factum est, ut Mercurium deorum *κήρυκα* gentis auctorem sibi praeficerent; quod postea ita retractatum est, ut Ceryx quidam Mercurii filius eponymus gentis praedicaretur et stirpi Atheniensium regiae insereretur. Permira est Schweighäuseri nota ad Athenae. XIV p. 660: »*Non a κηρύττειν sed a Ceryce* appellati sunt (Ceryces), qui heros, i. e. *ὁ πρῶτον.*« Casaubonus Athenaei verba recte intellexit et explicuit. — Cf. disquisit. de Centriadis.

8) De munere hieroceryeis videndi sunt Meursius in Eleusiniis, Sainte-Croix de myst. tom. I p 230 et Creuzer. in Symbol. et Mythol. l. c.

phonte in hist. gr. II, 4, 20 *ὁ τῶν μυστῶν κῆρυξ* appellatur [9]). — Ex Athenaeo (VI p. 234 E.) discimus binos fuisse praecones *ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τῆς μυστηριώτιδος*, quibus per annum in Delio coena paranda fuerit [10]). — Deinde unum quatuorvirum, quibus una cum archonte rege mysteriorum demandata erat cura semper e Cerycum gente legendum fuisse testis est Aristoteles in rep. Athen. apud Harpocrat. s. v. *ἐπιμελητὴς τῶν μυστηρίων* [11]). Quartum vero munus, respondendi de iure sacro et devovendi impios Cerycibus cum Eumolpidis commune fuisse [12]), iam supra annotavimus.

Praeter ea, quae si secundum exceperis ad sacra Eleusinia spectabant munera, alio honorifico eoque hereditario Cerycum gens gavisa est officio, quod quum vetustatem et Atticam eius comprobare posset originem hoc loco non omittendum. Hieroceryx enim archontis regis uxori quatuordecim Bacchi *γεραίρας* ad insiurandum adigenti auxilium ferebat. Bacchi vero cultum et aedem *ἐν Λίμναις*, quo pertinebat illa caerimonia inter antiquissima Atticae sacra fuisse neminem fugit. Posteriore quidem tempore, quo Eleusinia in urbem recepta erant, hisce Bacchi sacris cum Cerealibus aliqua coniunctio intercessit, sed inde nemo colliget, illa non priora fuisse quam Eleusinia. Bacchi sacerdotes autem ante canistra iurasse (*ἐν τοῖς κανοῖς πρὸς τῷ βωμῷ*) docet orator cont. Neaeram p. 1371, 18 R. Quorum canistrorum usus et gestatio quum praesertim in Anthesteriis, Panathenaeis et Eleusiniis obtinuisset, Eudanemorum diadicasia cum Cerycibus *ὑπὲρ τοῦ κανῶς*, a Dionysio Hal. vol. V. p. 658 R. commemorata, de munere aliquo in hisce festis praestando acta esse videtur.

Multarum, quas Cerycum gens complexa est familiarum et domuum duas tantum accuratius novimus, alteram Leogorae et Andocidis, alteram Calliae et Hipponici.

Leogorae et Andocidis familia.

Andocides Leogorae filius Cydathenaeensis, vel Thorensis, e numero decem oratorum, familiaritate, quae ei cum Hermocopidis intercessit, et partibus, quas ipse in eorum causa egit parum gloriosis nemini ignotus est. Cerycum vero gentem attigisse eum et a Mercurio [1]) genus derivasse Pseudoplutarchus auctor est in vitt. X orr.

9) Pollux l. c. Tituli inf. laud.

10) Cf. de Deliastis fin. de Eudanemis fin. Athenaeus l. c. recte comparat Ceryces homericos, qui in epulis quoque ministerium habebant. Nota Ceryces teste eodem Athenaeo lib. XIV p. cit. ciborum parandorum artem hominibus tradidisse.

11) Verba ipsa adscripsimus ad Eumolpidas not. 24. Eadem habent Etymol. M., Suid. s. h. v

12) Testimonia citavimus ad Eumolpidas nott. 25 sqq. Add. Lycurg. adv. Andoc. p. 57, 27 R.

1) Inde merito colligas familiam hunc deum singulari prosecutam esse cultu. Sed cave huc trahas *Andocidis Mercurium*, cuius apud veteres tam frequens mentio fit. Iste Mercurius enim e numero Hermao statuarum fuit per totam urbem in viis et plateis positarum, quarum una paulo maior ante ipsam Ando-

p. 316 vol. IX R. testimonio usus Hellanici (fr. 94 ed. Sturz.); nec non Photius in bibl. cod. 261. Sed in eo discessisse videtur huius familiae genealogia a vulgato Cerycum gentis stemmate, quod post Mercurium non Cerycem poneret, sed Autolycum e Philonide natum (schol. Odyss. τ', 432). Huius enim filia perhibetur Anticlea mater Ulyssis (Odyss. λ', 84. Ovid. Met. XIII. 146), quem inter maiores Andocidis comparuisse testis est idem Hellanicus apud Plutarch. in Alcib. cap. 21, et apud Suidam s. v. Ἀνδοκίδης, ubi legimus Andocidem e Telemachi et Nausicaae posteris fuisse. Nemo non videt in hac genealogia nihil veri inesse; quippe quam Leogorae et Andocidis familia singulari aliqua de causa, quae quidem hodie latet, ex notissimo stemmatum fingendorum, qui inter Graecos obtinuit, more sibi arrogaverit. Etenim Telemachus ab Homero poëtarum posteriorum ingenio larga inveniendi et fingendi relicta est materia. Sic Hesiodus Polycastam Nestoris filiam ei tribuerat uxorem, filium vero Persepolin nominaverat. Haec fabula partim in Homerica de Polycasta narratione (Odyss. 3, 364), partim in Graeco filios a rebus gestis et fortuna patrum vel avorum denominandi more nititur. Persepolis enim est Ulysses Πτολίπορθος Homeri, nisi mavis eum a Minerva Persepoli (cf. Lamprocles lyricus apud schol. ad Aristoph. Nub. 964) ita dictum esse, quod ad idem rediret. — Jam tabulam genealogicam huius familiae, quatenus fieri potest, exponam. Andocides enim in oratione, quae περὶ τῶν μυστηρίων inscripta est, §. 47 complures e cognatorum et affinium suorum numero ipse nominavit. Inde nomina petita sunt ea, ad quae nihil amplius in notis adieci.

Mercurius
ex quo et Philonide
|
Autolycus
|
Anticlea
ex qua et Laërta
|
Ulysses
ex quo et Penelope
|
Telemachus
ex quo et Nausicaa
|
Familia Leogorae et Andocidis.

---

cidis domum stetit, tribus Aegeidis anathema. *Andocidis Mercurius* appellabatur haec statua a vicina domo et propter celebritatem quam in Hermocopidarum causa nacta est. Andocid. de myst. §. 62. Pseudoplut. l. c. Photius l. c. Lys. adv. Andoc. §. 11 sq. Aeschines in Timarch. vol. III. p. 138 R. cum nota Taylori. Clement. protr. vol. I. p. 80 sq. Potter. Verum enim vero istae statuae Mercurium antiquissimi cultus phallicum, fertilitatis numen, (deum χθόνιον) repraesentabant, longe diversum ab eo; quem Ceryces genti suae praefecerunt, ministrum deorum, praesidem praeconum etc. Utrumque delineavit Müllerus in Archaeologia artis, illum §. 379, hunc §. 381.

Leogoras I
ex quo et Chariae fil. 2)

NN. — Alcmaeo. — Andocides I. [3]) — NN.
ex quo et sorore matris Critiae 4)

Taureas. | *Callias.* | *Leogoras II.* ex quo et Tisandri filia 5) | Filia. ex qua et Aristotele | *Phrynichus.*

Nisaeus. | *Andocides II.* [6]) — Filia. maritus: *Callias* Teleclis f. | *Charmides.*

Hoc loco non alienum esse videtur maternum quoque Andocidis II genus adiicere, quippe quo simul alia orationis Andocideae pars (inde a §. 117) illustrabitur.

Tisander — Leager I

Telecles [7]) | Filia ex qua 8) et Leogora II | Epilycus [9]) | Filia ‿ Glauco [10])

Filia. mar. *Eucrates* Niciae frater. | *Euphemus.* | *Callias.* ‿ Filia. | *Andocides II.* | Duae filiae. | Leager II. | Filia ex qua et Callia III

Hipponicus III

2) Andocid. de myst. §. 106. Ducibus isto Leogora et Charia Athenienses victoriam de tyrannis *ἐπὶ Παλληνίῳ* reportarunt ol. 67, 3. (a. Chr. 510).

3) Andocidem I e coniectura inserui. — Taylorus (ad Lysiam adv. Andocid. p. 244 vol. V. R. et in lectt. Lysiac. p. 253 vol. VI. R.) Andocidem priorem Leogorae filium e testimoniis veterum eiicere voluit. Scilicet Pseudoplut. in vita Andocid. in. et Thucyd. I [cap. 51] tradiderunt, Andocidem Leogorae f. (oratorem) una cum Glaucone Leagri f. cum viginti navibus adversus Corinthios Corcyraeis auxilio missum esse anno 1. ol. 87. (a. Chr. 432, q. a. cf. Clinton. Taylorus errat ubi rem ol. 86, 1 accidisse dicit), quo tempore tricesimum quintum Andocides orator egit annum. Contra Lysias l. c. affirmat Andocidem oratorem quadragenarium nunquam, neque *ἱππέως* neque *ὁπλίτου*, neque *τριηράρχου* neque *ἐπιβάτου* munus obiisse. »Qui igitur classi praefuit, Taylorus inquit, erat Andocides Leogorae quidem filius, nostri (oratoris) vero avus paternus.« At in hac ratione tempora nimis laborare videntur. Andocides enim orator natus est ol. 78, 1. = a. Chr. 467 auctore Pseudoplut. l. c. Quo tempore si Leogoram patrem vicesimum sextum egisse statuimus annum, huius natales incidunt in ol. 71, 3, a Chr. 493, quo anno Leogorae patrem Andocidem si eodem modo vicesimum sextum habuisse statuimus annum (in qua computatione vide brevissimas a nobis constitui aetates), idem Andocides ol. 87, 1 octoginta septem natus erat annos. Quam aetatem praefecto classi a populo creato parum convenire puto. Pseudoplut. igitur merito hunc honorem Andocidi oratori tribuit, et Lysias nimium vero detraxisse videtur; nisi quis praefecturam classis a Lysia consulto in enumeratione munerum militarium silentio pressam esse existimet. Hauptmannus haud inepte Lysiae testimonium ad tempora belli peloponnesiaci adstringi vult, quippe quo orator »sinistra in republica exercuerit, et similia ipse habuerit fata.«

4) Andocid. de myst. §. 47.

5) Id. l. c. §. 117. De Leogora ipso helluone cf. cum Athenaeo IX. 387 A. scholiast. ad Aristoph. Nub. 109.

6) De eo cf. not. 3. Vitam eius conscripserunt Pseudoplut. l. c., Photius in bibl. cod. 261. Utrumque libellum cum commentario ed. Taylor. in lectt. Lys. cap. V. (Orr. gr. vol. VI. p. 248. sqq. R.); e recen-

tioribus Godofred. Hauptmann. in libro de Andocide, cap. 1. (Orr. gr. vol. VIII. p. 535 sqq. R.). Cf. Lysias adv. Andoc. et ipse de mysteriis. Add. Wachsmuth. Antiquitatt. hellen. vol. II p. 444.

7) De myst. §. 117.

8) Teleclem cum progenie desumsi ex eiusdem orationis §§ 40—42. et §. 47.

9) Epilycum petii indidem § 117, ubi Andocides eum avunculum suum dicit. Quo defuncto alteram filiarum Andocides, alteram Leager, utpote proximi affinitate puellis iuncti in domus suas recipiunt (per ἐπιδικασίαν). Illa quum praematura abrepta esset morte, altera ἐπίκληρος facta est. V. not. sq.

10) Glauconem Leagri filium una cum Andocide II classi praefectum fuisse, supra vidimus. Huius Glauconis filium coniicio Leagrum fuisse Andocidis II aequalem et cum orbis Epilyci filiabus eadem affinitate coniunctum qua Andocidem (v. not. 9). Itaque matrem eius Epilyci sororem fuisse statui, id quod de matre Andocidis constat. Callias III Hipponici III f. in matrimonium duxerat Glauconis filiam (de myst. §. 126) ex qua suscepit Hipponicum IV. Et huic ἐπίκληρον illam Epilyci filiam in matrimonium petit; unde merito colligas etiam Calliam illius affinem fuisse sed non tam propinquum, quam Andocidem, quippe qui Calliae adversari posset in hac re (l. c. §. 121). Quid igitur probabilius est, quam Glauconem Calliae socerum illum ipsum Leagri I filium, et Calliae uxorem Leagri II sororem fuisse. Sed Andocidis orationem ipsam respicias.

Callium et Hipponicorum familia.

Omnes quibus olim Graecia floruit domus et familiae splendore natalium, divitiis atque honoribus publicis longe superatae sunt a Callium et Hipponicorum familia, quam ad amplissimam Cerycum pertinuisse gentem auctor est et testis gravissimus ex eadem gente oriundus Andocides in orat. de mysteriis §. 127 (p. 63 vol. IV R.), ubi Callias filium suum *εἰς Κήρυκας* introducit iureiurando interposito professurus eum legitimum esse [1]. — Stemma huius familiae Triptolemum Eleusinium inter maiores exhibuit [2], quem Callias III legatus ab Atheniensibus ad Spartanos missus Herculem et Dioscuros in Cereris sacra initiasse [3], et cum Peloponnesiis frumenti semina communicasse iactat [4]. Hereditarium haec familia consecuta erat daduchiae in Eleusiniis obeundae munus [5], in quod exstincta Callium et Hipponicorum familia Lycomidas successisse post videbimus. Attamen haec summa sacerdotalis dignitas non impedimento fuit, quominus ex eadem familia belli instante periculo duces exercituum crearentur, et pacis tempore legati ad regem Persarum, ad Spartanos et alios populos mitterentur [6].

1) Quo de more cf. Platner. in Symbolis ad cognoscend. ius attic. p. 72. Add. Aristid. in nota 5.

2) In ea Cerycum genealogia, qua Ceryx cum Eumolpo coniungitur, Triptolemus quoque comparet. Nisi quis, quemadmodum de Andocidis familia constat, sic etiam Calliae domum singularem generis tabulam a vulgata Cerycum genealogia diversam habuisse statuere malit. De dissensione auctorum in referendo Triptolemi genere cf. Lobeck. Aglaoph. p. 256.

3) Cf. Corp. inscript. n. 434.

4) Xenoph. Hist. gr. VI, 3, 6.

5) Vide infra singulos huius familiae qui innotuerunt viros. Huc spectat etiam Aristides in Eleusin. p. 257: *Εὐμολπίδαι δὲ καὶ Κήρυκες εἰς Ποσειδῶ τε καὶ Ἑρμῆν ἀναφέροντες, ἱεροφάντης, οἱ δὲ δᾳδοῦχοι παρέχοντο.*

6) Xenoph. Hist. gr. VI, 3, 4.

Praeterea Callium domus publicum Spartanorum hospitium sive *προξενίαν* hereditarium in se susceperat munus [7]).

Jam de singulis, quos ex hao familia ortos esse et inclarnisse compertum habemus, agendum, et in fine tabula generis adiicienda est [8]). Primum novimus *Hipponicum* quendam, qui, quum audivisset pecuniae pretium a Solone (cuius igitur aequalis fuit) deminutum iri, a divitibus magnam argenti copiam mutuatus hao pecunia fundos coëmit [9]); nisi civium invidiosus rumor turpem istum divitiarum familiae excogitavit fontem. Sed Hipponicum non primum divitiis comportatis nobilem factum esse testari potest nomen eius pernobiles indicans natales, item Phaenippi, fratris Hipponici ut videtur, quod idem fere significat. — Sequitur *Callias I* Phaenippi filius [10]), Pisistrati aequalis et inimicissimus, cuius bona, quoties tyrannus Athenis pulsus est, sub hasta vendita solus coëmit [11]). Complures in Olympiis et Pythiis reportavit victorias equestres; et filias, quas habuit tres, splendidissima dote donatas ipsas ex Atheniensibus maritos deligere sibi iussit. — *Hipponicus II Ammo*, Calliae f. [12]), ditissimus Atheniensium factus est magna pecuniae copia, quam dux Persarum aliquis apud Diomnestum civem Eretriensem deposuerat. Sed quum ille cum proximis omnibus in proelio occubuisset, Diomnestus pecuniam retinuit, donec Eretrienses ab infenso Dario imprimis petiti divitias suas Atheniensium commiserunt fidei. Tunc temporis Eretriensis ille thesaurum suum in Hipponici domo deposuit, et quum nemo Eretriensium cladem et caedem effugisset, Hipponicus thesaurum retinuit [13]). — *Callias II* daduchus, cognomine *Laccoplutus* [14]), ducenta possedit talenta. Ad Marathonem inter ipsos

7) Xenoph. l. c. et V. 4, 23.

8) Qua quidem in re a tot et tantis claboratum est viris, ut quidquam novi addi posse desperem. Praeivere interpretes ad Aristoph. Av. vs. 286 in Beckii commentar. vol. I p. 408 sq. et Perizonius ad Aelian. V. H. XIV, 16. Fusius de familia Callium disputavit Claviger in Historia instituti regii Galliae, tomo III classis histor. p. 129 — 165. Deinde de hac familia egit Aug. Boeckhius in Oecon. civ. Athen. vol. II. p. 15 sq. Dahlmannus in libello de pace Cimonis p. 4 sqq. eandem tractavit materiam. Cf. etiam Meinck. in Quaestionib. scen. I p. 51.

9) Plutarch. Sol. 15.

10) Herodot. VI, 121. et scholiast. ad Aristoph. Av. 286. Nub. 64, ubi simul docemur, eum victoriam equestrem reportasse. Boeckhius l. c. Phaenippum Hipponici I fratrem fuisse coniicit. Fortasse Callias a patroo adoptatatus et heres factus est. Claviger l. c. Calliam I Hipponici filiam in matrimonium duxisse suspicatur.

11) Herodot. l. c. Sive genuinus, sive spurius iste locus est, narrationis ipsius haud imminuitur fides.

12) Quodsi Plutarchus de malign. Herodot. p. 862 E Hipponicum Herodoti aequalem nominat, in errore versatur, bene annotante Valckenario ad Herodot. l. c.

13) Heraclid. Pont. apud Athenae. XIV. p. 536. Etiam haec narratio addubitatur. V. Claviger l. c. p. 132 et 148.

14) Quo cognomine proprie significatur is, qui thesauro detecto quasi e fossa dives factus est. Deinde ditissimus quisque, si casu quolibet fortunato divitias nactus est, ita dici posse videtur. Sic Hipponici filius Callias. Sed Athenienses, quibus historiolae de fontibus ingentium huius familiae divitiarum perplacebant, et quorum invidia non potest, quin appareat e Plutarchi Aristid. cap. 5, cognomen proprio accipientes sensu fabulam parum verisimilem finxerunt quam Plutarch. in Aristid. 5. Scholiast. ad Aristoph. Nub. 32, et glossaria s. v. *λακκόπλουτος* (in singulis quidem vario modo) decantant. Etenim Calliae II in pugna Marathonia aut Salaminia ducem aliquem Persarum, ut vitam suam servaret, thesaurum terra defossum indicasse narrant. Utcunque est, Persis hanc familiam

militum ordines vestitu] sacerdotali indutus pugnavit, promisso capillo et strophio tam conspicuus, ut a barbaris pro rege haberetur [15]). Eundem negotii cuiusdam perferendi causa legatum ad Artaxerxem missum esse obiter annotavit Herodotus lib. VII, cap. 151 [16]). Aequalis fuit, sed dissimillimus Aristidis, cui saepius opponitur a veteribus [17]). — *Hipponicus III Laccoplutus*, daduchus [18]), florentissimo reipublicae tempore omnium Graecorum opulentissimus fuit [19]). Anno 1. olymp. 89. copias Atheniensium contra Boeotos duxit, et in agro Tanagraeo cum Nicia coniunctus Thebanos

opes suas debuisse Dahlmannus l. c. vere contendisse videtur. Permulti enim Graecorum antea inopes post Persarum cladem immensa praeda divites evaserunt. Xenophon de vectigall. IV, 15 tradit, Hipponicum quendam in argenti fodinis sexcentos aluisse servos, unde totidem quotidie lucratus sit minas. At quum non constet, utrum Hipponicus iste ad hanc familiam pertinuerit, necne, ambigua res est, Callium et Hipponicorum opes inde derivare.

15) Plutarch. Aristid. 5.

16) Quo loco nisi sunt fortasse ii, qui Calliam legatis de pace Cimonia componenda missis praefectum fuisse temere statuerunt. (Vid. Dahlmann. in libello de pace Cim. p. 4—14, et de statua Calliae pacis conciliatoris p. 83 sq.). Traditur hoc a Demosthene de falsa legat. p. 428 lin. 26 sqq. R., ubi Calliam e Persia reducem L talentorum multa affectum esse legimus, utpote regis auro corruptum. Quibuscum parum consentit Plutarchus in Cimon. c. 13 eundem propter legationem optime gestam insigni affectum esse narrans honore. Cf. Diodor. Sic. XII, 4. et Pausan. I, 8, 2. Videndus est hac de re post Clavigerum l. c. p. 134—146, Meierus de bonis damnat. p. 116—121, quocum plane consentio sic ratiocinante: »totam illam Demosthenis narrationem de poena Calliae, sive composita illa pax est, sive non composita, falsam esse. Quid enim si composita est regem incitavit, ut legatum donis corrumperet, cum tam ignominiosam pacem nullis etiam donis redimere posset? et legatus quidni, tanta mercede accepta operam navavit, ut regi minus ignominiosae leges imponerentur? Si autem ne composita quidem pax est, Demosthenes, qui eam compositam dicit, nulla prorsus fide dignus est.« Demosthenem autem in hunc errorem inductum esse putat Meierus alius L talentorum multae percepto rumore, quam Callias noster pro Cimone civitati solverit, quum sororem huius Elpinicen in matrimonium peteret. Plutarch. Cim. 4. Nepot. Cim. 1. Dio Chrysost. or. 73. tom. II p. 391 R. Sed Boeckhius l. c. et ad Corp. inscr. p. 289 istum Calliam »non tam generosum quam pecuniosum, qui magnas pecunias e metallis fecerat« (Nep. l. c. Plutarch. l. c. *Καλλίας τῶν εὐπόρων τις*. Dio Chrys. l. c. *ἀνὴρ ταπεινός*) ab Hipponici filio diversum esse vere contendisse videtur. Etenim si Meierus credere non potest, duos Callias Athenis eodem tempore vixisse ditissimos, qui uterque multam L tal. solverint, sophistice agit silentio nunc premens id quod ipse antea sat idoneis probavit argumentis, narrationem de Callia Hipponici filii poena falsam esse. Deinde si Nepotis »non tam generosus« et Dionis »ταπεινὸς« de animi indole accipiens (quod his locis nescio an non fieri possit) Calliam »animam vilem et ignobilem duxisse« ait, Plutarchi narratione (Aristid. 25.) nititur, ex qua contrarium aeque bene colligo. In eiusdem Plutarchi Aristide cap. 5 invidiosus civium animus non potest quin primo obtutu compareat. De animi indole huius Calliae II valde anceps erit iudicium. Denique reliquis argumentis Meierus id evicisse videtur, Cimonem quidem nobiliorem Callia fuisse; sed inde non sequitur hunc »ταπεινὸν« et »quendam« dici posse. Quibus de causis hac in re viro docto adstipulari non possum. De paupertate autem, quae in hac narratione Miltiadi tribuitur et Cimoni, dicturus sum in disputatione de Philaïdarum gente, quam attigerunt illi.

17) Cf. Luciani Timon. p. 137 cum nota Hemsterhusii p. 426 Lehm. Stobae. p. 521, 13 cum emendat. Valckenarii ad Herodot. VI, 101 prolata.

18) Andocid. de myst. p. 57 vol. IV R.

19) Andocid. l. c. p. 64. Isocrat. de big. 13. Cf. locos ab Hemsterhusio ad Luciani Timon. p. 137 citatos. Bachr. ad Plut. Alcib. c. 8 p. 99. Nep. Alcib. 2.

proelio superavit [20]). Sed eodem anno ipse in clade ad Delium occubuit [21]). Uxorem eius divortio seiunctam Pericles in matrimonium duxit [22]), qui quum ol. 87, 1 (igitur octo annis ante Hipponicum) et postquam alter duorum quos ex illa susceperat filiorum uxorem iam duxerat, supremam obierit, sponte patet, divortium ante ol. 82, 1 (452 a. Chr.) ponendum esse [23]). Liberos illa quantum scimus Hipponico duos peperit Hippareten et Calliam [24]). Filiam cum decem talentorum dote pater Alcibiadi in matrimonium dedit [25]). — Sed in Hipponico familia fastigium fortunae ascenderat, idque altius, quam ut invidiam fati evitare potuerit. Inde crebra tunc temporis per totam urbem volabat fama, Hipponicum in propria domo daemonem *ἀλιτήριον* nutrire, qui mensam eius subverteret [26]). — *Callias III* daduchus [27]), pago Melitensis, qui (ut Andocidis verbis utar) *ἀνατέτροφεν ἐκείνου* (patris) *τὸν πλοῦτον, τὴν σωφροσύνην, τὸν ἄλλον βίον ἅπαντα.* Longe celeberrimus est ingenti sumtu, quo sophistis favebat, et peregrinos hospitio excipiebat [28]), Atheniensem exercitum duxit adversus Lacedaemonios sub Agesilao Corinthum invadentes ol. 97, 1 [29]). Ter sese legatum de pace Spartam missum esse gloriatur ipse in oratione quam ol. 102, 2 provectiore senectute [30]) coram Spartanis habuit. Proxeni Lacedaemoniorum munere procul dubio splendidissime functus est [31]). Sed ingens eius patrimonium luxuria et intemperantia [32]) iam circa olymp. 98 ita erat imminutum, ut duo talenta totum eius efficerent

20) Diodor. Sic. XII, 65.

21) Andocid. contra Alcib. p. 117 vol. IV R. Athenae. XII. p. 218. De clade cf. Diodor. l. c. 70.

22) Plutarch. Per. 24.

23) Quod Claviger considerasse videtur, cum Hippareten, quae Alcibiadi nupsit, non ex hac prima uxore, sed ex altera, quam Hipponicum postea duxisse coniicit, natam esse ait, l. c. p. 148. Sed Alcibiadem quoque vix post ol. 82 natum esse posse recte annotavit Krügerus ad Clinton. f. h. a. 423. Igitur necessarium quidem non est, ut Hipponicus secundum iniisse statuatur matrimonium.

24) Claviger p. 150 Hermagenem Hipponici filium Socratis amicum, quem paupertate vitam traduxisse constat (e Xenoph. Memor. II, 10. IV, 8, 4. et conviv. I, 3. III, 8, 14. IV, 46 sqq.), nothum huius Hipponici III filium fuisse existimat. Argumenta sat idonea non attulit.

25) De singulari, qua Alcibiades uxorem petiit, ratione, item de colapho, quem Hipponico infregit, tritae sunt historiae. V. Plut. Alcib. 8. Sed cf. Claviger l. c. p. 149 sq.

26) Andocid. de myst. l. c. filium Hipponici ipsum daemonem illum esse monstrat. — Hipponicum a comicis exagitatum v. apud Hesych. s. v. *Σκυθικός*, et *Ἱερεὺς Διονύσου*.

27) Cf. not. 18. Xenoph. Hist. gr. VI, 3, 4. Perversissima ratione Claviger l. c. p. 159 ex Andocide de myst. §. 116 et 127 Calliam tunc temporis non daduchum sed hieroceryeem fuisse concludit.

28) Platonis Protagoras p. 97 cum intpp. Athenae. V p. 218. Xenoph. Convivium in.

29) Xenoph. Hist. gr. IV, 5, 13. De tempore vid. Clinton. in F. H. p. 104.

30) Xen. l. c. VI, 3, 4.

31) Xen. l. c. V, 4, 22.

32) Olymp. 91, 2. Aristoph. in Avv. vs. 287 – 9:

Καλλίας ἄρ' οὗτος ὄρνις ἐστίν, ὡς πτεροῤῥυεῖ.
ἅτε γὰρ ὢν γενναῖος, ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν τίλλεται
αἵ τε θήλειαι προςεκτίλλουσιν αὐτοῦ τὰ πτερά.

Et in Ecclesiazusis vs. 811 tristem hominis exitum praesagit poeta (ol. 96, 4):

ἄνθρωπος οὗτος ἀποβαλεῖ τὴν οὐσίαν.

Ad utrumque locum cf. schol. Aristoph. in Ran. vs. 431 et 504 cum schol. Eupolis in Adulatorib. p. 124 sqq. Runkel. Aelian. V. H. lib. IV. cap. 16 cum Perizonii nota, et cap. 23. Athenae. IV, 19. — De tribus matrimoniis, item de scelesto summeque impio Calliae animo v. Andocid. de myster. §. 117 sqq.

censum (τίμημα) [33]. Filius ditissimi omnium Graecorum vitam egestate finivit [34]. — Hipponicus IV, quem Callias e Glauconis filia susceperat, nihil gessit, qnod memoriae proditum sit. Uxorem habuit Alcibiadis filiam, quam ob incesti suspicionem dimisit [35]. — Familiam postea interiisse merito colligas ideo qnod c. 300 a. Chr. Lycomidas daduchiae munus obtinuisse legimus. — Sequitur stemma.

a. Chr. [36]			
590	Phaenippus. Hipponicus I.		
555	Callias I		
520	Hipponicus II, Ammo.		
485	Callias II, dad.		
450	Hipponicus III, dad.		
415	Hipparete. ex qua et Alcibiade	Callias III, dad. ex quo et Glauconis f.	e Chrysiade Ischomachi vidua
380	Filia ‿	Hipponicus IV.	Filius.

33) Lysias de bon. Aristoph. vol. V. p. 649 sq. R.

34) Heraclidi Pontico ap. Athenae. XII. p. 537 tanta quidem fides haberi non potest. Sed, licet invidiae rumor exaggerando verum deformaverit, tamen de summa rei non dubitandum. Aeliani errorem in V. H. IV, 33 bene explicuit Perizonius ad h. l. allato Athenaeo lib. XII. p. 537. — Fusius de Callia egit Claviger l. c.* p. 151 — 165.

35) Lys. contra Alcib. §. 28. — De matre Hipponici vid. Andocidis stemma. — Praeter eos, quos ad hanc familiam retulimus, apud scriptores veteres permulti prodeunt Calliae, (nonnullos attulit Claviger p. 164) sed quum nonnisi aliis accedentibus argumentis, an cum ea, quam h. l. tractavimus, domo coniuncti fuerint, coniectura assequi liceat, consulto nunc omisi eos.

36) Hi numeri annum indicant, quo homines e regione positi florem aetatis assecuti sint, (i. e. quo annum circiter trigesimum quintum egerint) ex *aetatum* computatione.

Hacce data occasione tabulam generis *Aristideï* adiicio, qnod duobus matrimoniis, altero cum Calliae, altero cum Andocidis domo iunctum erat. Ad quamnam gentem paternnm genus pertinnerit, non constat.

a. Chr. [36])				
520			Lysimachus ex quo et Calliae II aut amita aut matertera 37).	
485			Aristides Justus, Ἀλωπεκῆθεν ex quo et Andocidis II aut amita aut matertera	
450	Lysimachus.		Filia.	Filia.
415	Polycrite.	Aristides.	Lysimachus, somniorum interpres,	Myrto mar. Socrates
380			Aristides.	

Singuli Ceryces innotuerunt: I. *Cleocritus* ὁ τῶν μυστῶν κῆρυξ μάλ' ἔμφωνος ὤν, Thrasybuli aequalis, apud Xenoph. in Hist. gr. II, 4, 20. — II. *Callides*, qui Calliae III adversatur filiolum in gentiles introducturo, apud Andocid. de myst. §. 127. — III. De Cerycibus aevi Romani suppeditant nonnulla catalogi aïsitorum, in quibus hieroceryx modo Herennius est [39]), modo Pinarius, annotante Boeckhio ad Corp. inscr. n. 190, ubi catalogos ipsos in eadem tabula propositos habes. Scripti snnt ex editoris sententia (p. 322) omnes post Traiannm, plurimi sub Antoninis. — IV. In tit. n. 389 comparet *Nu. Nigrinus* hieroceryx, et n. 385 filia eius Bassa, quae si Praxagorae Lycomidae nupsit, Nigrinum Themistoclis III et Plutarchi aequalem fuisse colliges. Vid. stemma Lycomidarum. — V. In tit. 397 prodit *Julius Apollodotus* Melitensis princeps Cerycum gentis cum patre *Julio Theodoto* sophista et matre Aelia Cephisodora ex Lycomidis, quos cf. num. I. — VI. In tit. n. 399 comparet *M. Aurelius Lithophorus Prodectus Pistocratis* e Cephale pago filius, a Commodo civitate donatus, item princeps Cerycnm gentis.

37) Aristides Justus ἀνέψιος est Calliae II apud Plutarch. in Aristid. 25. Quod ad paternum genus non spectare posse colligo e dubitatione, quae de claris natalibus Aristidis apud veteres obtinuit, teste Plutarcho in Aristid. 1.

38) Pseudoplut. vitt. X orr. p. 218 vol. IX R. Inde dem reliqua nomina hausi praeter Aristidem ultimum, de quo cf. Boeckh. ad Corp. inscr. n. 629.

39) Ad Herennios istos pertinuit etiam historicus Herennius Dexippus, qui saec. III floruit Impp. Aureliano et Probo. Cf. Boeckh. ad Corp. inscr. n. 380.

EUDANEMI.

Gentem Eudanemorum e Dionysii Halic. indicio de Dinarcho novimus, ubi vol. V. p. 658 R. inter orationes Dinarchi (*ψευδεπιγράφους* quidem) diadicasia commemoratur *Εὐδανέμων πρὸς Κήρυκας ὑπὲρ τοῦ κανῶς*. Contentiones enim de praestandis muneribus sacris iisque honorificis pleraeque gestae sunt a gentibus et familiis. De solis Phalerensibus, quos cum Phoenicibus de sacerdotio Neptuni disceptasse legimus, aliud testimonium, quo illos etiam gentem fuisse probetur, non reperi. Verum enim hoc unico fretus argumento Sylburg. pro *Εὐδανέμων* reponi vult *Εὐωνυμέων*, ut satis notum pagi haberetur nomen. At si nominis respexeris significationem, quippe quae tam saepe iam succurrerit nobis in hac disquisitione, facillimam ab *εὖ δαίνυμι* offerri puto derivationem [1]). Unde Eudanemos ministerium aliquod in epulis sacris parandis, et ab officio (more solito in gentibus sacerdotalibus) nomen consecutos esse arbitrer. Quam coniecturam firmat ipsa lis eorum cum Cerycibus, quoniam istis simillima negotia obeunda fuisse affirmat Athenaeus lib. XIV. cap. 79 [2]). Quid, quod cum mysteriis quoque nexus aliquis intercessisse videtur Eudanemis. Arrhianus enim de exped. Alex. lib. III. cap. 16 (14 sq. ed. Raphel.) ita scribit: *καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες, ᾗ ἄνιμεν ἐς πόλιν, καταντικρὺ μάλιστα τοῦ Μητρῴου, οὐ μακρὰν τῶν Εὐδανέμων τοῦ βωμοῦ· ὅςτις δὲ μεμύηται ταῖν θεαῖν ἐν Ἐλευσῖνι οἶδε τὸν Εὐδανέμου βωμόν, ἐπὶ τοῦ δαπέδου ὄντα* [3]). Quo loco simul certiores facti sumus, Eudanemorum aram in urbe ipsa exstitisse. Vides igitur Eudanemum non pagi, sed familiae Atheniensis, quae in hoc sacello cultum gentilicium ei tribuerit, heroem eponymum fuisse. Ceterum hanc gentem pervetustis Atticae familiis adnumerandam esse docet nomen a munere acceptum, neque patronymica quidem terminatione insigne. Eudanemum sibi praefecerunt eodem modo quo Butae Butam, Coryces Cerycem et s. p. — Denique monendum est, negotia Eudanemorum etiam latius extensa esse. Teste enim Hesychio *Εὐδάνεμος* apud Athenienses fuit nuntius (*ἄγγελος*) [4]); quam glossam huc pertinere non dubito. Novam enim cum Cerycibus suppeditat comparationem. Apparet Eudanemos et Ceryces olim ministros tantum, et

1) Müller. de Min. Pol. p. 9 not. 4.

2) Ceryces etiam coquos et popas fuisse Butyporum functos munere, testis ibi citatur Clidemus. Cf. X. cap. 26, Ceryces apud Homerum pincernas esse et sacrificantibus ministrare. V. disputat. de Cerycibus.

3) Vol. I p. 302 ed. Ellendt., qui annotat: »Num forte scribendum *Εὐδανέμων*.« At Heudanemi multo minus cogniti sunt, quam Eudanemi.

4) Hesych. *Εὐδάνεμος, ἄγγελος παρὰ Ἀθηναίοις*. Küstero Eudanemus nuntius Athenis fuisse videtur celeritate pedum conspicuus, et Albert. confert »*Ποδάνεμος* et sim.« (sed longe alienissima, ut nemo non videt.) — Meursius in Att. lectt. VI. 33 *Ἄγγελος* scribit, pro nomine proprio vocem accipiens. »Et Angelus hic« inquit »erat Neptuni filius. Meminit Pausanias Achaicis.« [VII, 4, 8, ubi codd. *Ἄγελον* ap. Bekk.]. Sed etiam haec aliena esse videntur.

gentes inferioris ordinis fuisse, nobilitate non valde conspicuas; quam quidem Cerycibus munus certum in Eleusiniis obeundum postea conciliavit.

LYCOMIDAE [1]).

Lycomidae, quos Hesychius (s. v. *Λυκομίδαι*) *γένος ἰθαγενῶν* fuisse dicit, procul dubio inter antiquissimas Atticae gentes referendi sunt, licet seriore demum aetate publicis perpetuo floruerint honoribus. Exstincta enim Hipponicorum et Callium familia munus daduchorum ad Lycomidarum gentem translatum est [2]). Quo quum fungerentur officio sacro, Pampho et Orphei cecinisse videntur hymnos, in hacce praesertim propagatos memoriaque traditos gente [3]). Lycomidae quoque unicum, quem Pausanias genuinum esse censet, Musaei in Cererem possederunt hymnum [4]).

Verum longe priore, quam qua daduchiam adepti sunt, aetate honoribus sacris et cultu Cereali, quem inter populos propagabant, iam conspicui sunt. Nimirum a vero nos haud aberraturos esse puto, si gentis originem a Lyco Pandionis filio derivamus [5]). Antiquissimo tempore Cauconem Celaeni filium, Phlyi nepotem Eleusine oriundum ad Messenen Polycaonis uxorem, quae Andaniae habitaverit, orgia magnarum dearum adportasse [6]), auctor est Pausanias lib. IV. cap. 1. §. 6 sqq. Phlyum autem Terrigenam ab Atheniensibus perhiberi dicit [7]), cum assensu Musaei in hymno, quem

1) Boeckh. ad Corp. inscr. n. 385: »Scripturam *Λυκομίδαι* passim in libris obviam ab aliis male impugnatam post Meursium et Palmerium recte tutatus est Siebelis ad Paus. I. 22, 7 omnemque dubitationem eximit titulus n. 386.« Gravissimum argumentum a Passovio (ad Musae. p. 52) in commendanda scriptura *Λυκομῆδαι* allatum hoc est, quod nomen *Λυκομήδης* saepius obvium sit, dum nullus inveniatur Lycomis vel Lycomides. Sed a nomine *Λυκομήδης* gentilicium *Λυκομῆδαι* descendere nequit. A nominibus, quae negotium indicant, ut *Βούτης*, *Βουζύγης*, *Δαιτρός* et al., gentilicia quidem huiusmodi fiunt ut *Βοῦται*, *Βουζύγαι*, *Δαιτροὶ* et al., sed praeterea nullum huius formationis exemplum vidi. Scriptura *Λυκομίδαι* firmatur etiam codicibus. Tenet eam Hesychius; apud Pausaniam haec forma quater e codice Parisino restituta est ab Imm. Bekkero. Plutarchum denique (Themist 1.) emendavit Carolus Sintenis, a quo plurima allata esse video, quae hoc loco ipse annotaturus eram.

2) Müller. in prolegom. mythol. p. 251 sq. Boeckh. ad Corp. inscr. n. 385.

3) Pausanias ea, quae de Pampho et Orpheo tradit (IX, 27, 2 et 30, 12), e daduchi cuiusdam ipsius audiverat ore. Cf. Burneii histor. music. vol. I p. 330.

4) Pausan. I, 22, 7. IV, 1, 6.

5) Passovii Musaeus p. 54. Ex adnotatione Siebelisii video, eundem connexum partim iam agnitum esse a Kuhnio et Goldhageno ad Pausan. IV, 1, 6 sqq.

6) Messeniorum sacerdotes in sacris magnarum dearum etiam Cauconi sacrificabant (Paus. IV, 27, 6); quem cultu divino habitum esse testis est idem Pausanias IV, 26, 8.

7) Haec genealogia facillima est intellectu; *Φλύος* enim (a *φλέω*, *φλυδάω*) de aqua dicitur e terra ebulliente, et *κελαινὸς* est terrae ipsius cognomen. In Caucone (a *κάω*, *καίω*) cogito de lustrandi purgandique vi, quam cum in Eleusiniis tum in omnibus Graeciae sacris igni tribuebant. Itaque significat heroem igni purgatum, qui homines Cereris cultum docendo ad puriorem ducit vitam.

Lycomidae possideant in Cererem. Praeterea Pausanias l. c. demonstrat, multis annis post Cauconem Lycum quendam Pandionis filium Andaniam venisse et sacra Cerealia, quae Canco olim instituerit, emendasse, auxisse, necnon ad maiorem honorem ea provexisse. Qua de causa Methapus eum tantopere admiratus est, ut in titulo signi, quod Lycomidarum donaverat sacello, haec de eo scriberet:

θαύμασα δ' ὡς σύμπαντα Λύκος Πανδιόνιος φὼς
Ἀτθίδος ἱερὰ ἔργα παρ' Ἀνδανίῃ. θέτο κεδνῇ.

Interpretes Pausaniae (ut rerum mythicarum scriptores taceam) Lycum istum et filium Pandionis II regis Atheniensium eundem esse statuunt. Et non negaverim iam veteres fuisse, qui fortasse duos istos eiusdem nominis heroes coniunxerint. Vel sic tamen contendo Lycum qui Cereris initia emendaverit re vera ex Atheniensium stirpe regia non provenisse, quoniam haec a Cereali religione, quam longe seriore demum tempore in Atticam ipsam provectam esse scimus, alienissima fuit. Cerealia Messeniorum autem a Caucone condita et a Lyco emendata plane eadem fuisse atque Eleusinia testis est Pausanias l. c. Qua de causa Lycus ille non Atheniensis sed Eleusinius fuerit necesse est. Et Pandion pater eius aut diversus a rege Attico, aut postea demum additus est, quum iam confusus esset Lycus ille cum Attici regis filio [8]. Neque absurdum esse videtur, si Lycum, qui Andaniam venit, ex eadem quoque gente fuisse coniicimus, unde Cauco olim provenerat — ex Lycomidis. Quae sententia duobus praesertim gravissimis corroborari potest argumentis. Etenim quum a Spartanis tota Messenia subacta esset, sacerdotum, qui deabus magnis orgia curaverant, familia Eleusinem se contulit, in pristinam sedem reversa [9]. Deinde vidimus *Phlyum* nominari gentis auctorem. Quid, quod in Attica *τελεστήριον* Lycomidarum in pago *Phlyarum* fuisse legimus? [10] Quocum demo *Phlyum* heroem recte a nobis coniungi, testatur singularis in hoc pago Terrae [11] — Phlyi genitricis — Cereris *αἰνησιδώρας* et Filiae *πρωτογόνου* [12] cultus. Quae numina Lycum in Messeniam olim transtulisse auctor est Methapus in inscriptione sup. laudata:

Δήμητρος καὶ πρωτογόνου, ὅθι φασὶ
Μεσσήνην θεῖναι μεγάλαισι θεαῖσιν ἀγῶνα
Φλυάδεω κλεινοῖο γόνου Καυκονιάδαο

8) Eodem modo distinguendum esse inter nostrum et alterum, a quo Lycia nomen traxisse fertur, Lycum, e diversissimo, quem alter habuit Cereris, alter Apollinis, cultu non potest, quin statim appareat. Concidit igitur suspicio quam de Lycomidarum nomine derivando Siebelis expromsit ad Pausan. I, 22. §. 7: »Quae causa esse potuit, ut nomen Lyci varie pronunciaretur, et inter orientis populos forsan in Lycom mutaretur, quod rursus Graeci ad domesticam formam *Λύκων* seu *Λύκομος* revocasse possunt existimari.« De Lycis plurima collegit Hemsterh. ad Aristoph. Plut. schol. p. 205 — 7.

9) Pausan. IV, 14. 1: *οὗτοι μὲν ἐς ταύτας τὰς πόλεις ἀπεχώρησαν, εἰς Ἐλευσῖνα δὲ οἱ τοῦ γένους τῶν ἱερέων καὶ θεαῖς ταῖς μεγάλαις τελοῦντες τά ὄργια.*

10) Plutarch. Themist. 1: *Ὅτι μέντοι τοῦ Λυκομιδῶν γένους μετεῖχε δῆλός ἐστι· τὸ γὰρ Φλυῆσι τελεστήριον ὅπερ ἦν Λυκομιδῶν κοινόν, ἐμπρησθὲν ὑπὸ τῶν βαρβάρων αὐτὸς ἐπεσκεύασε, καὶ γραφαῖς ἐκόσμησεν ὡς Σιμωνίδης ἱστόρηκεν.*

11) Pausan. I, 31. 4.

12) Pausan. l. c.

Postremo de vera nominis Lycomidarum derivatione admodum anceps est disputatio. Sylburgii opinionem, pro *Λυκομίδαι* omnibus locis emendandum et legendum esse *Λυκοδρυμίδαι*, i. e. *οἱ παρὰ τὸν τοῦ Λύκου δρυμόν*, (de quo Pausan. IV, 1, 5), operae pretium non est ut plenius repetamus. Cf. Siebelis in ed. Pausan. vol. II p. 89 adnott. Neque nomen illud a Lyco derivari potest; sed aut a Lycomo Lyci fortasse filio, aut a Lycomede quodam descendit, ita ut *Λυκομίδαι* sit pro *Λυκομηδίδαι*; quemadmodum *Θρασυμίδης* a *Θρασυμήδης* venit, si lectio vera est in Etymolog. M. s. v. *Ἀτρείδης*. Stemma gentis hoc est:

Terra
|
Phlyus
|
Celaenus
|
Cauco
———
Lycus
|
(Lycomus — Lycomedes?)
|
Lycomidae.

De munere daduchiae v. Meursium Eleusin. cap. 14, Scto-crucium de myster. tom. I p. 224 sqq., Creuzerum in Symbol. et Mythol. pluribus locis. Daduchos quamdiu viverent perpetuum obtinuisse hoc munus, quae Meursii l. c., Vandalii (diss. ant. p. 500) aliorumque fuit sententia, in dubium vocarunt Corsinus (in Fast. Att. tom. II p. 149 sq.), Scto-crucius l. c. eorumque pedissequi, contrarium ex inscriptionibus elucere arbitrati. Quas falso ab iis intellectas esse monstravit Boeckhius ad Corp. inscr. n. 338. 394. — Sed aliud non potest, quin ex inscriptt. (inf. citatis) statim appareat, per se iam probabile, si muneris naturam spectaveris; nimirum plures eodem tempore et in eodem festo daduchiae munere functos esse; nisi fortasse Romano demum hoc invaluit tempore, quippe quo talium imprimis honorum qualemcunque gloriolam affectarent degeneri Cecropidae.

Neoclis et Themistoclis domus.

Themistoclem victorem Salaminium ex hac gente originem traxisse, quum iam supra annotatum sit (not. 10), nunc de ceteris, qui innotuerunt, Lycomidis dicendum restat. Ducis illustrissimi proximam tantum e Plutarchi Themist. cap. 32 novimus pro-

geniem. Sed octo fere aetatibus post e satis probabili computatione (de qua cf. inf. not. 2) Leo vixit e posteris Themistoclis unus eo tempore, quo gens in daduchiae munus iam successerat. Inde stemmata haud interrupta usque ad Theophrastum II et Dioclem II primus Müllerus (de Min. Pol. p. 44) e Pausania I, 37, 1, et Vitt. X orr. p. 256 Tubing. concinnavit, deinde Boeckhius (ad Corp. inscr. n. 385) novis testimoniis firmavit et auxit. — Saeculo a. Chr. n. proximo cum Lycomidis coaluit Lycurgi et Lycophronis domus, quacum ipsa iam antea Eumolpidarum gens affinitate coniuncta erat; ita ut Lycomidae postea triplici gauderent nobilitate, nimirum Eumolpia, Butadica et sua ipsorum. Attamen mox evanescunt splendida Dioclis, Themistoclis, Neoclis, Sophoclis, Xenoclis, Phrasiclis nomina olim in hac domo hereditaria; pro quibus gentilicia Romana comparent. Proximis duobus p. Chr. saeculis Claudii, sub Antoninis etiam Aelii et Pompeii, post Septimium Severum Fabii quoque in inscriptionibus prodeunt daduchi. Claudiorum in stirpe Lycomidarum locus e stemmate quod adieci apparebit; de ceteris ex aïsitorum catalogis adumbrandis lectorem ad Boeckhii commentarium, quo Corp. inscr. titulus 190 ornatus est, remitto.

Neocles I Phrearrhius ‿ Abrotonum s. Euterpe [1]).

Themistocles I [2])
ex quo et
Archippe Lysandri f.

e secunda uxore

Neocles II. Diocles. adoptatus a Lysandro.
Archeptolis s. Poliarchus 3). ex quo et Mnesiptolema
Themistocles II.
Polyeuctus.
Cleophantus. s. Diophantus 4)
Italia. mar. Panthides, Chius.
Sybaris. mar. Nicomedes, Atheniens.
Nicomacha. mar. Phrasicles, Atheniens.
Mnesiptolema. mar. Poliarchus, frater.
Asia.

1) Plutarch. Themist. 1.

2) Habitavit in pago Melite, Plutarch. Them. 22.

3) Alterum nomen exhibet Pausan. l. c.

4) Diophantus matri carissimus a Plutarcho commemoratur VI. p. 2, 13 ed. R.; in vita Them. 32 hoc nomen non comparet, sed pro eo, ut mihi verisimillimum est, Cleophantus. Ne praetervideas, quam significantia Themistocles filiis et filiabus suis dederit nomina. Repraesentant omnem eius vitam, fata et consilia. Sed cave ea pro figmentis aevi serioris habeas, ad quam sententiam nonnulli vv. dd. valdo proclives esse videntur.

---

1) Numeri huius columnae annum indicant, quo singulus quisque e regione positus aetatem suam compleverit (l. e. triginta quinque circiter annos natus fuerit), e computatione secundum hominum quas dicunt aetates, vaga quidem et non admodum certa, sed hac in familia mire congrua. Basis totius computationis, sive annus quo Leo aetatem suam explevisse statuitur, ex Eteobutadarum stemmate desumtus est, quod cf.

2) Utramque familiam, quarum alterius Leo, alterius Themistocles primus innotuit, a duce illustrissimo Themistocle oriundam esse testatur Pausan. l. c. Altera, in qua Themistoclis nomen hereditarium fuit, a Poliarcho descendisse videtur. Fortasse etiam Dioclum Melitensium familia (v. Eteobut. stemma) Diocli Themistoclis filio debet originem. Itaque nuptiis Acestii et Themistoclis I duae, Themistoclis II et Nicostratae tres, Philistae denique et Demostrati quatuor Lycomidarum familiae in unam coaluerunt.

3) Ctesiclea ex Eumolpidis oriunda duas marito posuit statuas, quarum bases et in iis tituli Corp. inscr. n. 387 et 386 adhuc supersunt.

4) Ad filiam huius Dioclis III pertinet tit. n. 433. Eundem in tit. n. 320 memorari, ad Eteobutadarum stemma demonstrare studui not. 10.

a. Chr.			
160	Leo daduchus [2]		
125	Sophocles I dad.		
90	Xenocles dad. Acharn.		
55	Sophocles II dad. Ach. cuius uxor Ctesicles, 3) Apollonii Ach. fil.	Acestium ◡ Themistocles I dad. [2].	
20		Theophrastus I dad.	
p. Chr.			
15		Themistocles II dad. ex quo et Nicostrata Dioclis II filia.	
50	Theophrastus II.	Diocles II Hagnus. [4]	Tib. Claud. Leonidas dad.
85	Athenaea.	Themistocles III [5] ex quo et Praxagorae I filia	Tib. Claud. Lysiades dad.
120		Ael. Praxagoras II. ex quo et Bassa Nigrini hieroceryeis filia	Tib. Claud. Sospis [7] dad.
155		Philiste ◡	Demostratus Marathon. [8]
190		Praxagora ex qua et Xenagora I	Claud. Philippus dad.
225		Xenagoras II ex quo et Hermippide	Cl. Menandra [5]
260	Polyzelus mystagogus.	Dionysia ex qua et Regia Regiae f.	
295	[Neo]phro	Xenagoras III ex quo et Aristophanea Victorini filia	
330		Hierophanta.	

5) Hic deficiente stemmate Pseudoplut. l. c. incipit inscriptio n. 385, cui ipsi plurima pars sequentium debetur. Nonnulla ex aliis titulis aptissime intexuit Boeckh. in commentar. ad n. 385, ubi simul rationem quaeras eorum, ad quae in sqq. nihil annotavimus. — Themistoclis III patris nomen in hoc tit. quidem interiit, sed quum omnia tam mire concinant (v. not. 10 ad Eteobut stemma), non cunctatus sum ex Boeckhii coniectura haec duo stemmata arcte coniungere.

6) Boeckh. l. c. Demostratum eundem esse coniicit, quem una cum Praxagoris et Mamertinis Herodi Attico adversatum esse tradiderit Philostrat. vit. soph. II, 1, 8. 11. Tib. Claud. Atticus, de quo in Philaïdis plura dicturus sum, floruit 145 p. Chr. Vides igitur, quam pulchre concinant computationis nostrae tempora.

7) Patrem et avum Sospidis Boeckh. ex tit. n. 423 petiit, quem quidem cum Corsino c. olymp. 230, M. Aurelio Imp. ponit. Sed si Demostratum Herodis aequalem fuisse vere contendimus, Sospis Imp. Aurelio vixisse non potest, quandoquidem eius filius demum sub Hadrianis floruit.

8) Debetur titulo n. 438.

Praeterea nonnulli in inscriptionibus aetatis Romanae comparent daduchi, quos Lycomidarum stemmati certo loco inserere non potui. I. Ex titulis n. 435. 395. et 423 haec genealogia concinnatur:

Tib. Claud. Patro Melitensis
|
Claudia Philoxena
ex qua et Tib. Claud. Patrono
|
Tib. Claudius Lysiades Melit. dad.
|
Aelia Cephisodora
ex qua et Julio Theodoto qui de gente Cerycum fuit
|
Julius Apollodotus Melit.
ἄρξας τοῦ κηρύκων γένους

Julium Theodotum primum rhetorices professorem Athenis fuisse, a M. Aurelio constitutum scimus ex Philostrati vit. sophist. II, 2. et Corp. inscr. l. c. — II. In titulis n. 436 et sq. comparent

Tib. Claudius daduch.
ex quo et Claud. Damocrata
|
Claud. Aristonica

— III. In titulo n. 314, non ante M. Aurelium scripto prodeunt:

Aurelius Zosimus
Filius daduchus. (nomen interiit.) — Aurelius Irenaeus.

— IV. Ex tit. n. 405 novimus *Aerarium Sosipatrum* daduchum, *Damotelis* et *Thisbiani* daduchorum ἔγγονον. — Recentissimus, cuius mentio fit, daduchus *Flavius Pompeius* esse videtur, qui post Constantinum Rufio Festo statuam ponendam curat, n. 372.

CROCONIDAE.

Croconidae, quos gentem sacram appellat auctor lexici rhetorici in Bekkeri Ineditis p. 273, nomen et originem a Crocone deduxerunt. Hic regulus, teste Pausania I, 38, 1, in ipsis Atticorum et Eleusiniorum finibus prope τοὺς Ῥείτους habitaverat. Quem rivum si quis Athenis veniens transgressus est, eam regionem intrat, quae ad

Pausaniae usque tempus *Croconis* audiebat *regnum* [1]). In Apollodori Biblioth. III, 9, 1 comparet Meganira quaedam Croconis filia, Arcadis regis uxor, cui duos filios, Elatum et Aphidantem, peperit. Ubi Croconem Eleusinium ut intelligamus ipsum nomen mulieris suadet, quo etiam Celei regis Eleusiniorum uxor gavisa est. Accedit, Croconem a Triptolemo descendisse, qua de re certiores facti sums in lexico rhet. l. c. [2]). Triptolemus vero secundum vulgatam traditionem Celeo et Meganira s. Metanira natus est. Postremo mulierem Eleusiniam in Arcadiam translatam esse, nemo mirabitur, qui coniunctionis Eleusiniorum cum plerisque Graeciae provinciis bene memor est [3]). Adde regem, cui Meganira nupsit, in Arcadum fabulis easdem agere partes quas Triptolemus in Eleusiniis et Buzyges in Atticis [4]). Accipe stemma:

Celeus ‿ Meganira
|
Triptolemus
|
Croco
|
Meganira
ex qua et Arcade
Elatus. Aphidas.

Quacum genealogia concinnare non possumus aliam famam, qua Saesara Celei filia Croconis celebratur uxor. Sed eam singularem et a nemine praeter Scambonidas enarratam esse traditionem Pausanias l. c. §. 2 ipse annotat.

De muneribus Croconidarum sacris nihil compertum habemus, nisi quod diadicasiae, quam cum cognata Coeronidarum gente egerint, passim ab Harpocratione mentio facta est [5]).

COERONIDAE. [1]) s. PHILIENSES. s. PIRITHOIDAE.

Coeronidarum (s. Cyronidarum) gens a Coerone descendit fratre Croconis notho. Qua de causa posteri illius minore gaudebant honore quam Croconidae [2]), quibuscum

1) S. v. *Κοιρωνίδαι . . . καὶ Κροκωνίδαι γένος ἱερὸν Ἀθήνησιν.*

2) Vid. ad Coeronidas not. 2.

3) Cf. ad Eumolpidas not. 8. de Lycomidis in.

4) Vid. Buzygiam p. 12.

5) S. v. *Θεοίνιον· Λυκοῦργος ἐν τῇ διαδικασίᾳ Κροκωνιδῶν πρὸς Κοιρωνίδας. — Κοιρωνίδαι. ἔστι Λυκούργῳ λόγος οὕτως ἐπιγραφόμενος, Κροκωνιδῶν διαδικασία πρὸς Κοιρωνίδας, ὅν ἔνιοι Φιλίνου νομίζουσιν.*

1) De duabus huius nominis formis *Κοιρωνίδαι* et *Κυρωνίδαι* vid. Welcker. prol. Theognid. p. XLIV.

2) Harpocrat. s. v. *Κοιρωνίδαι . . . ἔστι δὲ γένος οἱ Κοιρωνίδαι περὶ ὧν Ἴστρος ἐν τῇ συναγωγῇ τῆς Ἀτθίδος* (ed. Siebel. p. 62) *φησί, ὠνομασμένον δ' ἂν εἴη, ἀπὸ*

Lycurgi quaestoris aetate de munere aliquo honorifico disceptaverunt [3]). Iidem appellabantur etiam Philienses et Pirithoïdae. Suidas s. v. *Περιθοῖδαι*, Ephoro laudato lib. III, retulit, in Attica populum eius nominis exstitisse a Pirithoo Ixionis filio denominatum. Athenienses enim cum alios peregrinos tum praesertim Thessalos propter amicitam, quae Theseo cum Pirithoo intercesserit, hospitio excepisse iisque eam terrae partem inhabitandam concessisse, quae *Πειριθὶς* appellaretur. *Πειριθοῖδαι* vero priusquam pagi nomen evaderet, genti proprium fuisse videtur, ut Butadae, Philaïdae, al. Quacum thessalica Pirithoïdarum gente Coeronidae Eleusinii coaluerunt, ut in posterum utrumque nomen eandem significaret gentem. Causam vel occasionem coniunctionis nescimus. Tertia gentis appellatio, *Φιλιεῖς*, Meiero Marx (Ephor. p. 139) ad amicitiam illam Thesei et Pirithoi pertinere videtur.

PYTHAISTAE.

Pythaïstae teste Strabone IX, 1. p. 392 (unde hauserunt Stephanus s. v. *Πυθώ*, et Hesych. s v. *ἀστράπτει δι' Ἅρματος*) oraculi iussu fulgura Pythia quotannis rite observabant, visu ad iugum Parnethis montis (Harma dictum) converso. Quae si fausta comparuerant fulgura, pompam cum sacrificio Delphos mittebant. Sacram vero legationem delphicam, sive theoriam a singula gente, cui competierit hoc munus hereditarium, parandam et instruendam fuisse discere licet a Philochoro (ed. Siebel. p. 84) apud scholiast. ad Soph. OC. vs. 1047: *Ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδομένα ἐν τοῖς ἱεροῖς, τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους, Πυθιάδα καὶ Δηλιάδα, ὁπότερα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς.* Sacerdotes insuper hanc theoriam sacrificiis et extispiciis in Pythio, quod Oenoae fuit, institutis prosequebantur [2]). Pythaïstis autem ionicam assignandam esse originem ex Apollinis cultu intelligere licet, primis Atticae incolis ignoto [3]). — Uberius ea omnia tractavit et illustravit Müllerus in Dor. vol. I p. 239 — 41, ad quem lectorem revocatum esse volo.

τοῦ Κοίρωνος, ὃν νόθον ἀδελφὸν εἶναί φασι τοῦ Κρόκωνος. παρ' ὃ καὶ ἐντιμοτέρους εἶναι τοὺς Κροκωνίδας τῶν Κοιρωνιδῶν. ὅς τις ποτέ ἐστιν, ὁ δὲ τὸν λόγον (cf. ad Croconid. not. 6) *γεγραφὼς τρισὶν ὀνόμασί φησιν αὐτοὺς προσηγορεῖσθαι, καὶ γὰρ Κοιρωνίδας, καὶ Φιλιεῖς, καὶ Περιθοίδας.* Phot.: *Κυρωνίδαι ἀπὸ τοῦ Κύρωνος.* Suidas s. h. v. Harpocrationem exscripsit, Lex. in Bekk. Ined. p. 273: *Κοιρωνίδαι γένος Ἀθήνησιν, ἀπὸ Κοίρωνος, ὃς ἦν ἀδελφὸς Κρόκωνος . . . ἀμφότεροι δὲ ἦσαν παῖδες Τριπτολέμου.*

3) Cf. ad Croconid. not. 6.

4) Vid. supra not. 2.

1) Scripturam *Πυθαϊσταὶ* firmant Strabo et Stephanus ll. cc. Hesychius *Πυθιασταὶ* facili errore cui formae *Δηλιασταὶ* et *Ἰσμιασταὶ* dederunt ansam.

2) Philochor. l. c. *Θύει δὲ ὁ μάντις, ὅταν μὲν τὰ εἰς Δελφοὺς πόμπιμα γένηται καὶ θεωρία πέμπηται ἐν Οἰνόῃ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐν τῷ Πυθίῳ . . . καὶ ἔστιν ἱεροσκοπία τῆς μὲν εἰς Δελφοὺς θεωρίας ἐν τῷ ἐν Οἰνόῃ Πυθίῳ.*

3) Cf. Müller. de Min. Pol. p. 2 not. 4.

(DELIASTAE.)

Eodem modo, quo Pythaïstis theoria delphica rite mittenda erat, etiam Deliae legationis praeparandae, exornandae riteque emittendae munus singulae cuidam genti traditum fuisse docet Philochorus ed. Siebel. p. 84, cuius verba supra iam in Pythaïstis adscripsimus. Eodem loco docemur, sacerdotes hanc quoque theoriam, si navis vela dedisset, insuper sacrificiis et extispiciis in Delio ad Marathonem institutis quasi prosesutos esse [1]). — Sacram, qua nonnisi ad hano navigationem usi sunt, triremem (*τὴν θεωρίαν*) eandem esse credebant, qua Theseus olim Cretam petierit, qui et ipse theoriam Deliam e voto (quod cum quatuordecim illis Atheniensium susceperat familiis) quum a caede Minotauri salvus redux factus esset, instituisse fertur [2]). Legebantur autem theori, ut Apollini dona vel primitias terrae offerendas transmitterent, ut chorum in eius honorem ducerent pro patriae salute precantem, postremo ut solenne sacrificium instituerent [3]); a quo curando nomen *θεωρῶν* invenerunt (a *θεός* et *ὤρη*) [4]). Dux itineris et legatoni praefectus *ἀρχιθέωρος*, ceteri *συνθέωροι* appellabantur. Quos omnes ex nobilissimis et illustrissimis Atticae familiis lectos esse testis est Herodotus lib. VI cap. 87.

E Plutarcho l. c. compertum habemus, Niciam Nicerati f. aliquando legationi Deliae praefuisse, quo munere cum summa civium laude functus sit. Simul apparet, impensas, licet ea, quae maxime necessaria essent, populus praestiterit, tamen partim (ad pompam ducendam et epulas parandas) a praefecto legationis ipso praebendas fuisse [5]). Qua de causa concedes architheori munus, quippe sumtuosissimum (inter *λειτουργίας ἐγκυκλίους* numeratum, cf. Boeckh. Oec. civ. Ath. I, 484) in eadem gente non hereditarium esse potuisse [6]). Genti igitur de qua nunc agimus theoriae nonnisi parandae et rite emittendae demandatum fuerit munus. In navem ipsam ad sacrificia ou-

1) Verba sunt: *Εἰ δὲ εἰς Δῆλον ἀποστέλλοιτο ἡ θεωρία . . θύει ὁ μάντις ἐν τῷ ἐν Μαραθῶνι Δηλίῳ.*

2) Veterum hac de re testimonia congessit Wyttenbachius ad Platonis Phaedon. p. 58 A, qui locus ipse primarius est. Cf. Callimach. in Del. vs. 314 cum docta Spanhemii nota. — De tempore festi vidend. est Boeckh. in Oeconom. civ. Athen. vol. II p. 217.

3) Vid. Plutarch. Nic. 3. Hesych. s. v. *Θεωρικός*. Etymol. M. s. v. *Ἀρχιθέωρος*. Cf. Plutarch. Demetr. 11. et Barthelemii peregrinat. Anachars. cap. 76.

4) Harpocrat. s. v. *Θεωροί. Θ. μέντοι λέγονται οὐ μόνον οἱ θεαταί, ἀλλὰ καὶ οἱ εἰς θεοὺς πεμπόμενοι· καὶ ὅλως τοὺς τὰ θεῖα φυλάττοντας ἢ τῶν θεῶν φροντίζοντας οὕτως ὠνόμαζον. ὤρην γὰρ ἔλεγον τὴν φροντίδα.* De theoris egit Valckenar. in animadverss. ad Ammon. lib. II cap. 3.

5) V. Marmor. Sandvic. apud Boeckh. in add. ad Oecon. civ. Ath. p. 230.

6) Spanhem. ad Callim. in Del. vs. 1. Deliastas ex Cerycibus mysticis fuisse innuit, eo solo usus argumento, quod Ceryces praecones et legati fuerint. Sed isti a cultu Apollineo alieniores esse videntur. Et si quis ad corroborandam Spanhemii opinionem Andocidem attulerit de myster. §. 132 Bekk., ubi Callias cum sodalibus sese liturgiam architheori *εἰς Ἰσθμὸν καὶ Ὀλυμπίαζε* praestitisse iactat, contra monendum est, in Callia theoro mittendo divitiarum potius et nobilitatis, quam originis e praeconia Cerycum gente rationem habitam esse.

randa nonnulli fortasse recipiebantur. Annotatum est ab Harpocratione Lysiam laudante: *Δηλιασταί, οἱ εἰς Δῆλον ἐξελθόντες θεωροί.* Fere idem Hesychius et Suidas prodidere s. h. v. Gentem autem, quae theoriam emittebat, Deliastarum nomine appellatam esse nullo scriptoris testimonio probare possum, et terminatio nominis theoros potius quam gentiles significat, ut *Ἰσθμιασταί*, *Ὀλυμπιασταί.* Sola Pythaïstarum nominis analogia adductus sum, ut gentem, de qua nunc agitur, Deliastas nominarem. Pythaïstas enim, quos alii theoros esse dicunt, simul gentis et gentilium nomen fuisse non dubitabis, Philochorum l. c. si cum Strabone l. c. comparaveris. Ionicam vero Deliastis tribuendam esse originem, merito colligas ex arctissima cum Apollinis cultu coniunctione. Confirmatur haec argumentatio fabulis, quae theoriam a Theseo temporis ionici rege institutam esse narrant. — Denique notandum, de Deliastis etiam Solonis legem exstitisse, testante Athenaeo lib. VI p. 234 F.

C Y N I D A E [1]).

Cynidarum gens primo commemoratur ab Harpocratione, qui s. v. *Κυνίδαι* Lycurgi diadicasia Croconidarum et Coeronidarum citata pergit *γένος ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις οἱ Κυνίδαι.* [2]). Deinde Etymologus M. (s. v. *Κυννίδαι*) eos gentem sacram fuisse dicit, a Cyne vel Cynide denominatos heroe [3]). Hesychius denique (s. v. *Κυνν.*) sacerdotem Apollinis Cynii ex hac gente fuisse docet [4]).

Cynem illum, qui Apollinis Cynii cultum in Atticam transtulerit, Socrates (teste Photio s. v. *Κύνειος* [5]) Apollinis et nymphae Parnethiae filium fuisse prodiderat, etymologia quoque nominis adiecta, de qua infra dicendum erit. Nunc sufficiat ad matrem animadvertere, quae Parnethis nympha perhibetur. Montem enim huius nominis transgressus si quis inde ab urbe Oropo iuxta litus Euripi Boream versus procedit

1) Varia nominis exhibetur scriptura, aliis *Κυνίδαι*, uno *ν*, aliis *Κυννίδαι* duobus *ν* scribentibus. Eodem modo variatur in *Κύνιος*, *Κύνης*, et *Κύννιος*, *Κύννης* haud raro apud eundem auctorem. Jo. Meursius (Att. lectt. I. 3) ubique simplex *ν* restitui vult, adductus incertissima nominis derivatione vel comparatione cum *κυνίζειν*. Sed lingua ad duplicandas literas liquidas admodum proclivis, et nihil tritius est, quam duplex eiusmodi nominum forma. Duplex *ν* etiam in titulo Corinthiaco comparet in Boeckhii Corp. inscr. n. 1102. Urbis Cyni nomen ubique uno *ν* scriptum reperitur, in Corp. inscr. n. 863. et apud Paus. l. c. Strab. l. c. ubi cf. Tzschuckius de accentu nominis.

2) Eadem verba repetunt Suid. et Phot. in lex. s. v. *Κυνίδαι.*

3) *γένος ἱερὸν Ἀθήνησιν· ἀπὸ Κύνου* (recte, non *Κυνοῦ* ut Meursius scribit. Nominativus *Κύνης* legitur ap. Phot. in lex. s. v. *Κύνειος*, et genitiv. *Κύνου* ap. Pausan. IX, 23, 7 Bekk. Si nominativus *Κυνῆς* (e *Κυνέας*) esset, inde patronymicum *Κυνίδης* derivari non posset) ἢ *Κυνίδου.*

4) Hesych. *Κυννίδαι, γένος Ἀθήνησιν, ἐξ οὗ ὁ ἱερεὺς τοῦ Κυννίου Ἀπόλλωνος.* et *Κύννιος· Ἀπόλλωνος ἐπίθετον.*

5) Idem etiam Suidas habet s. v. *Κυνήειος.* Apollo dicebatur igitur Cynius (s. Cynnius. Hesych.) et Cyneus. (Phot.)

Larymnam veniet, quam urbem a Cyni filia nomen trahere, et Opuntiorum ditioni olim subiectam fuisse testis est Pausanias IX, 23, 7. Porro navale Opuntiorum Cynum appellatum esse scimus e Pausan. X, 1, 1, et Strab. IX, 4. p. 425. In eadem via Cynum inter et Larymnam Halae sitae erant, de quibus Strabo IX, 1. p. 405: *Λάρυμνά τε, παρ' ἣν ὁ Κηφισσὸς ἐκδίδωσι, καὶ ἔτι ἐπέκεινα Ἀλαὶ*[6]) *ὁμώνυμοι τοῖς Ἀττικοῖς δήμοις.* Quid quod etiam in Attica Cynii cultum et fanum in Halarum pago fuisse scimus. Crates *ἐν τῷ περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσίων* (apud Phot. l. c.) narraverat: *τὸ δὲ Κυνήειον ἐστὶν Ἀπόλλωνος ἱερὸν Κυνηείου, τὸ ἐκ τοῦ θυννείου γινόμενον. τοῦτο δὲ ἐστὶ τὸ θυννεῖον Ἀλῆσι· καὶ γίνεται πρόςοδος μεγάλη. ταύτην ἡ πόλις εἰς θυσίαν καταχωρίζει τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Κυνηείῳ Ἀλῆσι . . .* [7]). Quibus argumentis adducor, ut per illam viam quae templis et sacellis Apollinis referta erat, Cynidarum gentem cum sacris Apollinis Cynii in Atticam immigrasse putem, unde Corinthum quoque hic cultus facillime transmitti potuit [8]). Et verum esse, quem exposui, cum Locrorum Cyno connexum, hoc luculentissimum affero testimonium: Polybius in fragm. lib. XXXII, cap. 25 (vol. IV p. 592 Schweigh.) auctor est, Apollinis Cynii fanum in oppido Aeolidis Temno exstitisse, quod a Prusia spoliatum et combustum sit. Totam vero, qua Temnus sita erat, Asiae minoris regionem incolebant Locri, iique Cyno in Graecia oriundi: Strab. XIII, 1. p. 134. 143.ed. Lips.

Socrates (apud Phot. l. c.) Cynem Apollinis et nymphae Parnethis filium a Latona feris in Hymetto monte expositum, a canibus autem et pastoribus servatum esse tradiderat; qua de causa pastores infanti nomen a canibus dedisse [9]). Quae fabula nos diutius detinere nequit. — Aliam dedit huius nominis explicationem Jo. Meursius l. c. »Dicebatur, inquit, Apollo *Κύνιος*, i. e. *ἀκροβολιστής*, iaculator; quemadmodum *κυνίξεις* apud eundem Hesychium sunt *ἀκροβολισμοί*, velitationes.« — Crates l. c. cognomen *Κυννεῖος* e *θυννεῖος* ortum esse censuerat; in eodem enim pago, quo Cynius Apollo colebatur, celebre *θυννεῖον* fuit. Sed mutatio literae ϑ in $\varkappa$ nullo probari poterit exemplo. Nec satis liquet, utrum revera Cynio Apollini cum thynnorum piscatione nexus aliquis intercesserit, an Crates eum ad etymologiam suam firmandam excogitaverit. Fortasse diebus festis Apollinis Cynii, quibus permultos ex urbe cives Halas deambulasse legimus, piscatus quoque solennis ab incolis demi peractus est. — Utut sit, frustra quaesiverit aliquis, quo sensu Cynius Apollo in Attica cognominatus sit: quum a Locrorum oppido, unde cultus eius propagatus, etiam nomen adportatum sit.

6) Quae quidem est Palmerii coniectura pro *ἄλλαι*, quod sensu cassum. Vid. Tzschuck. ad l.

7) *Ἀλησίου Δημήτρος ὁ βασιλεύς.* »Quoquo modo haec emendanda sint, certe *Ἀλῆσι* scribendum videtur. Cf. Steph. Byz. v. *Ἀλαι.*« Hermann. ad Phot.

8) Nempe hoc colligas e titulo Corinthio Corp. inscr. n. 1102 cum Mülleri (Dor. vol. I p. 247) coniectura, quam veram esse iudicat Boeckhius l. c.

9) Verba enim haec sunt: *θεμένης τῆς Λητοῦς τὰ βρέφη ὑπὸ κυνῶν ἁρπασθῆναι. τοῦ κνύζειν τοὺς γὰρ αἰσθομένους κύνας καὶ ποιμένας ἀνασῶσαι τῇ μητρί. ὀνομασθῆναι οὖν ἐν Ὑμηττῷ ἀπὸ τῶν κυνῶν.* Etymologia nominis ineptissima.

E U N I D A E [1]).

Eunidas (*Εὐνεῖδας* [1])) Athenis celebrem citharoedorum gentem fuisse, quae in sacris faciendis artis hereditariae praestiterit officium, ex Harpocratione s. v. *Εὐνίδαι* [2]) Lysiam testem citante, e Suida et Photio in lex. s. v. [3]) *Εὐνεῖδαι* discere licet. Eosdem etiam saltatores fuisse docet Hesychius s. v. [4]) Munus et officium eorum circa pompas praesertim fuit, ut auctor est Pollux in Onom. lib. VIII. p. 401.

Nomen et origo gentis deducitur ab Euneo Lemnio Iasonis et Hypsipyles filio [5]); sed quo iure, difficillimum est dictu [6]). Neque enim de tempore neque de via et occasione, qua in Atticam venerit haec gens, compertum aliquid habemus [7]). De Euneo ipso, quem Homerus (Iliad. VII. 467. X fin. XXIII, 747) iam commemoravit, sparsa veterum testimonia collegit Meursius in lectt. Att. V. 10. Traditum est hunc regulum Graecis Troiam obsidentibus vinum misisse [8]); deinde eum cum Philocteta minores Aegei maris insulas a Caribus tunc habitatas devastasse [9]): sed de musica qualicunque hominis facultate nihil constat.

Nomen *Εὔνευς* bonum navigatorem significans Iasonis filio more satis usitato a patris fortuna datum esse, Müller. in Orchomeniac. l. c. vere annotavit [10]). Etiam Atheniensem Euneum a Plutarcho (vit. Thes. 26) memoratum esse video, Thesei aequalem. Menecrates enim Nicaeensis, qui patriae suae scripserat historiam, testis ibi adducitur, Theseum in regione Nicaeae commorantem inter comites suos tres iuvenes Athenienses,

1) Nempe eam scripturam, ut veram defendit Eustathius ad Odyss. λ' p 1681, 57: *Νέλεως τοῦ γενικὴ Νείλεω, ὡς Μενέλεω. τούτου δὲ Νηλεῖδαι, οἱ ἀπόγονοι, ὡς Εὐνεῖδαι φησιν οἱ τοῦ Εὔνεω.* et Etymol. M. v. *Εὐνεῖδαι. γράφεται δὲ διὰ τῆς ει διφθόγγου, ὡς ἀπὸ των εἰς ευς.* cf. etiam p. 145 l. 67. Variant enim auctores *Εὐνεῖδαι* scribentes et *Εὐνίδαι*, quae posterior formatio prorsus absona est. v. inf. not. 5.

2) *γένος ἐστὶ παρ' Ἀθηναίοις οὕτω ὀνομαζόμενον Εὐνεῖδαι. ἦσαν δὲ κιθαρῳδοὶ πρὸς τὰς ἱερουργίας παρέχοντες τὴν χρείαν.*

3) Harpocrationis verba repetiere.

4) *Εὐνεῖδαι, οἷον γένος ὀρχηστῶν καὶ κιθαριστῶν.*

5) Hesych. *Εὐνεῖδαι γένος ἀπὸ Εὐνήου κεκλημένον τοῦ Ἰάσονος υἱοῦ. οἷον γένος ὀρχηστῶν καὶ κιθαριστῶν. οἱ δὲ γένος τι Ἀθήνησι κιθαριστῶν. ἐνταῦθα γάρ, ᾤκησαν οἱ ἀπόγονοι αὐτοῦ.* Photius *Εὐνεῖδαι* (priore glossa) *γένος Ἀθήνησι μουσικὸν ἀπὸ Εὔνεω τοῦ Ἰάσονος καὶ Ὑψιπύλης.* ex Eustah. ad Iliad. ψ' 747. — Nomen patris huius generis triplicem admisisse videtur formam: prima est *Εὐνεύς*, unde genitivus *Εὔνεως* ap. Eustath. ad. Il. ψ' 747; secunda *Εὔνεως*, unde genitivus *Εὔνεω* ap. Phot. l. c. Nam pro forma in *ευς* exeunte, quae flectitur ad tertiam declinationem, admittitur saepissime *εως* ad secundam declinationem, ut pro *Νειλεὺς Νείλεως*. Pro *εως* autem nihil tritius est quam forma ionica in *ηος*. Ita tertia nominis Eunei formatio evadit *Εὔνηος* apud Homer. Il. cc. Apollodor. I, 9, 17. Hesych. l. c.

6) O. Müller. Orchom. p. 304.

7) Eunei mater Hypsipyle a Lemniis mulieribus pulsa Nemeam se contulit, ubi (Apollodor. III, 6. 4, 1) tempore belli thebani prioris serva Lycurgi regis facta est.

8) Homer. l. c. Aristid. ed. Dind. vol. II p. 195 cum schol. vol III p. 506.

9) Philostrat. her. cap. 5. §. §. 2. p. 703 Olear.

10) Cf. etiam Welcker. in Trilog. Aesch. p. 582. — Eodem nomine gavisus est sacerdos Apollinis Carnei, apud Sicyonios quartus.

Euneum, Thoantem [11]) et Soloontem, eosque fratres habuisse. Quorum tertius quum ipse sibi mortem conscivisset, Theseus in eius honorem fluvium Soloontem denominat et urbem Pythopolin condit, in qua complures e comitibus cum fratribus defuncti relinquit. Apparet etiam haec nomina poëtis et scriptoribus rerum gestarum Thesei deberi, qui comites (quorum nomina fama non prodiderat) a ducis virtute denominantes alterum bonum navigatorem, alterum Celerem s. Irruentem praedicaverant. — Eunidarum gens revera non ab Euneo, sed aliunde nomen suum traxisse videtur, quod initio fortasse nil nisi appellativum fuit. Postea demum, Homeri poëmatis ad summam celebritatem evectis, inde generis auctorem sibi petierunt, tum similitudine nominis tum aliis adiuti argumentis, quae nunc oblivione obruta sunt. Sed unde revera derivandum sit illud nomen, definire non audeo.

Postremo notandum est, Cratini fabulam laudari *Εὐνεῖδαι* inscriptam [12]). Quodsi reputamus et Eunei regis et insulae Lemni celeberrimam in fabulis *εὐοινίαν*, merito conieceris formam *Εὐοινεῖδαι*, quam Pollucis (l. c.) praebent codices, nemini nisi Cratino tribuendam esse, quippe qui nomen ita mutaverit. Contulisse iuvabit etiam Aeschyli Cabiros, quos in Iasonis et Hypsipyles nuptiis Lemni celebratis convivantes et ebrios ille produxit [13]).

PHYTALIDAE.

Phytalidarum gentem Athenis floruisse, auctor est Hesychius s. v. *Φυταλίδαι* [1]). Cuius nominis derivationem si spectaveris a *φυταλιά*, quae vox pomarium vel vinetum significat (cf. Spanhem. ad Callim. lav. Pall. vs. 26), de coniunctione gentis cum arborum cultura non dubitabis. Sed certiora nobis tradita sunt. Pausanias enim (I, 37, 2) in pago Laciadarum Zephyri, Cereris et Proserpinae sacellum exstitisse narrat; quibuscum ibi Minerva simul et Neptunus honores habuerint. Nimirum hoc loco Phytalum olim Cererem hospitaliter excepisse, quae ei ficum dono dederit [2]). Cuius rei testimonium affert inscriptionem de sepulcro Phytali:

ἐνθάδ' ἄναξ ἥρως Φύταλός ποτε δέξατο σεμνὴν
Δήμητραν, ὅτε πρῶτον ὀπώρας καρπὸν ἔφηνεν,
ἣν ἱερὰν συκῆν θνητῶν γένος ἐξονομάζει·
ἐξ οὗ δὴ τιμὰς Φυτάλου γένος ἔσχεν ἀγήρως.

11) Thoas etiam Eunei Lemnii frater comparet ap. Lactant. ad Stat. Theb. V, ab avo materno more solito nomen adeptus.

12) Athenae. XV. p. 698 C. Ptolemae. Hephaest. apud Photium p. 485.

13) Cf. Welcker. in Tril. Aesch. p. 313 sqq.

1) *Φυταλίδαι γένος παρὰ Ἀθηναίοις.*

2) De cultura et sanctitate huius arboris in Attica cf. Athenae. III. p. 74 D. sqq. cum intpp. Locum, ubi prima ficus inventa sit, *ἱερὰν συκῆν* ab Atheniensibus appellatum esse, testis idem Athenae. l. c.

Paulo diversa Plutarchus tradidit in vita Thesei, cap. 12 in. et 23 extr. Quum enim Theseus, occisis cum aliis Isthmi latronibus, tum coguato suo Sini, iu Atticam veuisset, a Phytali posteris ad Jovis Milichii aram expiatus est [3]. Postea ab Atheniensibus, quos Theseus a decimis Cretae solvendis liberaverat, Aegeo *τέμενος* consecratum dedicatumque est; sacrificii autem Phytalidis imposita cura, Theseo sic hospitalitatem eorum remuuerante. — Clarissima lux huic traditioni affunditur, si reputamus Theseum Neptuni Troezenii (sive Aegei) filium esse, Neptunum autem ab Argivis Phytalmium appellatum, et a Troezeniis primitiis frugum oblatis [5]) cultum esse. Apparet Aegeum, quem Phytalidae singulari cultu prosecuti sunt, nullum alium esse nisi Neptunum (cuius etiam Pausan. l. c. nou immemor est) · Phytalmium, tutorem arborum culturae, qua Phytalidarum gens excelluit. Habitavit enim ad Cephissum in regione, quam ficubus praesertim serendis idoneam esse scimus [6]. — Hauc traditionem vero, quam secundo loco exposuimus, antiquiorem et veriorem esse puto, quam alteram illam a Pausania relatam. Etenim quum temporis decursu Ceres omnis generis agriculturae praefecta esset, aliorum numinum arvalis potestas et cultus obscurata sunt. Sic etiam arborum in Attica cultura et satio olim Neptuno vel Aegeo, postea Cereri sacra habebatur [7].

3) Cf. etiam Paus. l. c. §. 4. Bekk. Inde Lobeck. (Aglaopham. p. 184 b.) argumentum petiit, quo coniecturam suam firmaret de Athenaei loco IX. p. 410 A. Pro corrupto *Θυγατριδῶν* restitui vult *Φυταλιδῶν*. »Phytalidarum enim hoc antiquum et patrium munus fuisse, ut sacra piacularia administrarent.« Facilior tamen est ea, quam Müllerus proposuit, emendatio *Εὐπατριδῶν*. Nam expiationem sive lustrationem (*κάθαρσις*), quam hoc loco Phytalidae Theseo gratificantur, heros a quavis nobiliore atque hospitali tunc temporis impetrasset familia. Sed Phytalidae, quum in finibus habitarent, primi salutantes eum amice receperunt; qua de causa Theseus oravit eos, ut se rite expiarent. Verumtamen Phytalidarum gentem antiquitus sacra piacularia administrasse Lobeckius vere contendisse videtur. Nitar autem neque Plutarchi neque Pausaniae loco, sed Eustathii annotatione ad Odyss. VII, 121, ubi Jovem *καθάρσιον* a ficubus in expiatione adhibitis etiam *συκάσιον* appellari discimus. Jupiter *καθάρσιος* a *μειλιχίῳ* non diversus esse videtur, et Phytalidae ficubus serendis imprimis operam dabant. Inde patet, cur Jovi Milichio singularem tribuerint cultum.

4) Sic procul dubio scribendum est apud Plutarchum, ubi nunc pro *Αἰγεῖ* legitur *αὐτῷ*, quod ex versu seq. ut videtur huc illatum est. V. Müller. prol. mythol. p. 272, ubi non solum haec coniectura proponitur, sed etiam Phytalidarum sacra illustrantur.

5) De Phytalmio v. Plut. de virt. mor. p. 451 (VII. 772 R.) Symposiac. V. 3. p. 675 (VIII. 688 R.) Conviv. p. 158 (VI. 603 R.) Creuzer. Symbol. et Mythol tom. IV. p. 87 sq. ed. I. cf. tom. II p. 597. ed. II. Meletem. I p. 33. De Troezeniis Plut. in Thes. cap. 6. in. Cf. *ὡραίαν* Troezeniorum in vita Themistocl. cap. 10 laudatam.

6) Haud procul aberat herois Cyamitae fanum, qui nomen a faba serenda habuit Paus. l. c. §. 4.

7) Tum quoque »culturas vitium et arborum Eumolpus Atheniensis« invenisse traditur. Plin. Hist. Nat. VII. 57. (p. 48 vol. II Lips.)